DE
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE III. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXVIII

HORA XII

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORGIUS ZIETZSCHMANN

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

C. SENDEL, SCHOL. LAT. COLL.

P. BIEDERMANN, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM

FORMIS PLOETZIANIS.

Ciceronis ingenium et scripta quum prioribus saeculis summis ornata essent laudibus, modo, postquam scrutationem invenerunt viri docti illius operum via ac ratione institutam, ut fieri solet, haud multo post in contrarias abscesserunt dijudicandi partes, ita ut certatim eniterentur, tantum deinceps detrahere de laudibus Ciceronis, ut nulla jam supersit quam ornatissimi et elegantissimi latine scribendi generis palma. Et profecto haud mirarer, si quis existeret qui hanc quoque Tullio eripere conaretur. In abjudicando igitur Ciceroni omnem fidem atque auctoritatem quoniam tam diligenter versati sunt viri docti, factum inde jam est, ut illius scriptorum studium, quantum pertinet ad materiam in iis tractatam, a multis nostrae aetatis criticis inanis ducatur opera atque labor futilis de rebus studio accurato et diligenti minime dignis. Maxime autem refutantur et respuuntur Ciceronis opera philosophica, utpote quae sine ullo proprio judicio atque arbitrio conscripta copiosam atque indistinctam verborum ac sententiarum molem undique collectam contineant. Sane non suo ingenio illa meditatus est Cicero, neque novam aliquam philosophiae disciplinam adumbravit, sed propter id ipsum, quod ex omnium fere qui illa aetate vigebant philosophorum commentariis ista sunt hausta opera, diligentissimo ea habeamus studio digna, quum ex iis permulta edoceamur de Academicorum, Peripateticorum, Epicureorum, Stoicorum maxime doctrinis, quas ad enucleandas praecipui nobis debent esse fontes, quum illorum philosophorum opera omnia fere extincta atque perdita doleamus. Qua igitur de causa studiose Ciceronis illis scriptis operam demus ad investigandos fontes in iis reconditos, neque deerunt fructus uberrimi. Quod parum adhuc factum esse sentio. Imo ne hodie quidem peculiaris in manibus nobis est liber de Ciceronis philosophia conscriptus, quo satis accurate edoceamur, quibus, quoque modo Tullius usus sit Graecorum philosophorum libris. Etenim Kühneri libellus: De Ciceronis in philosophiam ejusque partes meritis (Hamb. 1825.), nemini suffecerit. Materiam sane,

quae est ad hanc rem complectendam necessaria, diligenter collegit Kühnerus, sed hoc fecisse satis habet, ex suo judicio nihil fere addens. At vero apparet, priusquam de Ciceronis philosophia ejusque Graecorum usu in universum atque ab omni quidem parte disputari possit, ante omnia singulorum quos scripsit librorum fontes esse anquirendos, ut inde jam judicium effici possit de Ciceronis philosophia firmum atque ab omni parte stabilitum.

Et quidem singulis libris plures jam strenuo operam dederunt, ut, ex quibus illi hausti essent fontibus, demonstrarent. Qua de re optime meritus est Maduigius, qui in praecipua editione librorum de finibus multa de horum aliorumque librorum fontibus disputavit, et in annotationibus dispersa et in praefatione aeque atque in excursibus operi additis accuratissime collecta. Ut alios aliaque praetermittam, Crantoris libello *περὶ πένθους* quomodo usus esset Cicero in componendis primo et tertio libro Tusculanarum disputationum, plures perscrutati sunt, Meierus, Kayserus, Schneiderus. Mihi quidem fontes Tuscull. disputt. investigaturo praetermittere omnino licet librum primum et quartum, utpote quos Heinius jam eodem consilio pertractaverit,[1]) et quidem tam accurate et distincte, ut vix quidquam videatur addendum. De tertio vero libro, si discesseris ab iis quae Crantori ibi debentur, quum plane idem statuendum sit quod de quarto, hoc quoque omnino omisso pertractandi mihi restant libri II et V.

Maximae in Ciceronis fontibus investigandis oboriuntur difficultates, magnusque exigitur atque operosus labor, quum propter multos in quos Cicero incidit errores, temeritatemque, qua saepius germanam philosophorum doctrinam obscuravit, tum propter notitiam illorum tam imperfectam et vitiosam, quum, ut jam diximus, eorum, quos in usum suum convertit, philosophorum monumenta permulta temporis iniquitate aut prorsus interciderint, aut corrupta atque mutilata ad nostram pervenerint aetatem. Deinde haud parva difficultas oritur ex similitudine, quae tum jam plerumque inter variarum disciplinarum decreta intercesserat, quae postquam diu multumque contentiones disceptationesque

---

[1]) De fontibus Tusculanarum disputationum. Weim. 1863.

inter se exercuerant de fundamentis philosophiae, illuc hac re erant ducti, ut magis magisque rursus inter se appropinquarent, atque ex aliorum placitis unaquaeque schola haud pauca admisceret. Quare saepe satis lubricum est atque difficile dijudicatu, cuinam Cicero hanc illamve doctrinam debuerit, Stoicis aut Epicureis cum Academicis vel Peripateticis communem. Inde denique summa objicitur nobis difficultas, quod Cicero fontes, e quibus hausit, haud raro aut plane reticet, aut obiter tantum indicat, aut ibi tantum auctores appellat, ubi eorum sententia sibi videtur reprehendenda. E quo efficitur, eum etiam in iis plerumque libris in quibus auctorum nomina non addidit illorum et rationem et orationem tacite secutum esse.

Neque enim ipsum Ciceronem concoxisse atque excogitasse materiam in his libris tractatam quisquam erit, qui affirmare velit. Constat enim Ciceronem omnes libros de philosophia cum festinatione quadam et quasi aestu scripsisse, itaque ipse profitetur se totos dies scribere,[1]) credibile non esse, quantum scribat die quin etiam noctibus, nihil enim somni.[2]) Neque habebat materiam praeparatam nisi communi quadam a doctoribus notitia, neque eam studiose conquisitam diuturna meditatione versabat. Inde enim ab adolescentia Graecae philosophiae cognitionem paraverat ad oratoris tantummodo usum et ad liberalem ingenii cultum, non scribendi consilio, neque intimos sectarum recessus perscrutatus erat, singularumve formam ad artis modum cum notionum proprietate subtiliter animo descriptam tenebat.[3]) Tusculanae vero disputationes multis locis festinantius et negligentius conscriptae sunt et multo minus quam alia Ciceronis scripta de philosophia elimatae ac perpolitae, atqae ex hac festinatione factum est, ut libri referti sint *ἀνακολούθοις* verborum consecutionibus. Itaque F. A. Wolfius[4]) hosce libros unius vel duorum mensium fetum esse putat, et nos suspicari possumus, Ciceronem eos vertisse potius ex peculiaribus qui de unaquaque re extabant Graecorum philosophorum libris, sententiasque illorum anxie collegisse, quam ex suo ipsius ingenio materiam exprompsisse.

---

[1]) Ad Att. XII, 14, 3. [2]) Ibd. XIII, 26, 2. cf. XII, 52. *ἀπόγραφα* sunt, minore labore fiunt, verba tantum affero quibus abundo. [3]) Madv. p. LXIV. [4]) In praefat. edit. suae p. IV.

Quam quidem materiam ipse sic breviter adumbravit:[1] „Libri Tuscull. disputt. res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt.“ Instituit enim docere, quomodo sapiens obviam iturus sit omnibus rebus adversis, ita ut semper unius virtutis possessione beatus haberi possit. Quod ut assequamur, oportere nos cupiditates et timores rationi supponere, ut semper animi aequabilitatem exhibeamus. Et quidem e titulis jam singulis libris inscriptis colligere possumus, Stoicis prae ceteris hic usum esse Ciceronem, quum eorum potissimum haec fuerit doctrina de beata vita, praeceptis de ἀπαθείᾳ in quoque vitae statu retinenda, perturbationibusque sedandis atque opprimendis stabilita. Id quod, si tertium et quartum librum inspicimus, in aprico jacet, etenim meram ibi Stoicorum de affectibus doctrinam, Chrysippi maxime ex libris depromptam, invenimus expressam.

Porro quod primum librum attinet, Ciceronem ibi usum esse Panaetii libro aliquo, ita tamen, ut et hic et in tertio libro haud pauca admisceret ex Crantoris libello περὶ πένθους adscripta, quo quum jam usus esset in componendo ejusdem argumenti libro (de consolatione), nonnulla haud dubie memoria retenta hic asseruit, — haec luculenter demonstravit Heinius.[2])

Sententiarum igitur ac librorum connexu quum eo perducamur, ut secundum quoque librum e Stoici alicujus peculiari de hac re libello fluxisse suspicemur, monendum tamen est, popularibus magis verbis et oratoris potius ratione, sententiisque ad communem opinionem magis accommodatis hic disserere Ciceronem, quam ut Graeci alicujus, imprimis Stoicorum doctrinae acerbae addicti philosophi, vestigia eum premere primo aspectu videatur verisimile. Quam tamen speciem fallacem esse modo explanaturus sum.

Jam vero, ut ad rem ipsam accedamus, ita instituit sermonem Cicero atque a tali ducit exordio, ut primum quidem, ut solet, de variis disciplinis philosophorum loquatur, easque, quas vituperandas esse censet, impugnet. Et quidem in exordio libri secundi Epicuri potissimum et Metrodori insectatur sententiam de vi atque natura doloris, et ad eandem refutationem deinde redit §§ 44 et 45. Similem cum Epicureis disceptationem

---

[1]) Divin. II 1. [2]) l. l. p. 5—13.

exstare in extrema parte Fin. II nemo nescit. Quod quum per se nihil habeat miri vel notabile, nam eandem insectationem saepius exercuit Cicero, tamen illum librum cum secundo Tuscull. pluribus in rebus consentire contenderim, quam ut, si minus in omni, tamen in extrema illius parte Ciceronem eundem exprimere Graecum negare possimus, quem secutus est in secundo Tusc. Quae quidem quaestio quum latius pateat, ad nostram vero de Tuscull. disputt. secundi libri fonte sententiam confirmandam summi sit momenti, paulo accuratius eam inquiramus necesse erit, ut fundamentum totius disputationis constituamus.

Ac primum quidem in confessis est, in secundo libro de finibus Stoicorum adumbrari doctrinam de fine bonorum, ita quidem, ut eorum armis Epicuri de eadem re sententia refutetur. Etenim breviter reliquarum disciplinarum placitis remotis ita jam pergitur § 43: „Restatis igitur vos (Epicurei) nam cum Academicis incerta luctatio est. Cum Epicuro autem plus est negotii, quod multi postea defensores ejus sententiae fuerunt. Quos nisi redarguimus, omnis virtus, omnis vera laus deserenda est. Ita ceterorum sententiis remotis relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus et diligens, Chrysippus non contemnit, totumque discrimen summi boni in earum comparatione positum putat.“ Quo quidem loco Maduigius commotus est,[1]) ut opinaretur, maximam illius libri partem deberi Chrysippo, sive ex ejus ipsius libro aliquo Cicero illa excerpserit, sive ex alicujus, qui eum secutus erat. Sane Chrysippum perpetuam concertationem cum Epicureis exercuisse constat, imo adeo Epicurum aemulabatur, ut ne multitudine quidem librorum scriptorum superari se ab illo pateretur, tantum semper reponens quantum Epicurus volumen edidisset.[2]) Neque tamen hic de Chrysippo cogitari posse contenderim. Etenim constat, hunc philosophum aeque atque ceteros veteres Stoicos ab omni eloquentiae laude abfuisse, itaque illos propter orationis exilitatem et acerbitatem saepius castigatos esse a Cicerone. Comparentur modo quae supersunt Chrysippi reliquiae, conclusiones et ratiunculae quibus uti solet cum popularibus secundi libri de fin. verbis ac sen-

[1]) l. l. p. LX V. [2]) Diog. Laert. X 26.

tentiis. Imo, quum Heinius accuratius demonstraverit, librum IV. Tuscull. meram exprimere Chrysippi doctrinam, nemo non videbit, quantum distet argumentatio ibi prolata, disserendi spinae sententiarumque tristitia ab illustri et rhetorico sermone libri II de fin.[1]) Maduigius ipse concedit, liberiorem esse in hoc libro Epicuri insectationem eorumque quae ad virtutem commendandam dicuntur exornationem. Accedit, quod hujus libri § 86 doctrinam exhibet a Chrysippo omnino abhorrentem. Uberius enim ibi comprobatur virtutem amitti non posse, quum contra Chrysippus hoc fieri posse senserit.[2]) Itaque dubium non esse potest, quin recentiorem aliquem Stoicorum, qui asperitatem veteris doctrinae longe mitigaverant atque elegantiore utebantur dicendi genere, Cicero secutus sit, Panaetium aut Posidonium. Quos quidem, quantum ad eam quam modo respexi doctrinam, astipulatos esse Cleanthi, virtutem ducenti *ἀναπόβλητον*, audimus.[3]) Neque desunt libri ab his philosophis conscripti, e quibus Ciceronem suam disputationem delibasse censeamus.[4])

Cum hoc igitur libro, aut certe cum extrema ejus parte, tot in rebus consentire mihi videtur Tuscull. secundus, ut eundem in utroque fontem reconditum esse dixerim. Prior sane illius libri pars latius aliquantum vagatur, quum contra inde a § 85 totam disputationem a Stoicis sumptam esse pateat. Neque tamen ne in priore quidem illa parte desunt, quae aliquam cum Tusc. libri secundi similitudinem exhibeant, liceatque comparare de quibus ita sentio locos:

Fin. II 30. Stoicis finis bonorum — rejicientemque contraria. Tusc. II 30 Illud et melius et verius, omnia — in bonis.

Fin. 44 Quos nisi redarguimus — laus deserenda est. Tusc. 16 Quod huic officium e. q. s.

Fin. 45—48. Tusc. 58—59 (Conferas quoque quae Cicero disseruit ex Panaetii sententia Off. 1, 13 et 18).

Fin. 48 Ut enim consuetudo — fama gloriosum Tusc. 63 Sedenim hoc — a plerisque laudetur.

Fin. 49—50. Tusc. 63—64.

---

[1]) cf. Zeller Histor. philos. Graec. t. 3 a. 1, p. 210—14. [2]) Diog. Laert. VII 127. [3]) Diog. Laert. l. l. [4]) cf. Lynden De Panaetio Rhodio p. 114 sqq. Bake De Posidonii reliqu. doctr. p. 243—45.

Fin. 50 Aut quidquid aliud honestum — sua sponte laudabile. Tusc. 46 Volo autem — sua sponte laudabile.

Fin. 56 Ut igitur illis — honestatisque causa. Tusc. 58.

Fin. 60 Quid viri fortes — ardore atque impetu concitati. Tusc. 58 Ex hoc cursu atque impetu animorum — adeuntur in proeliis.

Fin. 61—62. Tusc. 58 (ubi eadem exempla Deciorum et Epaminondae afferuntur).

Fin. 81 Ita enim vivunt — refellatur oratio. Tusc. 12—13. cf. Senec. Epist. 71, 28.

Jam vero inde a § 85 quae disseruntur saepe ad verbum congruunt cum multis Tusc. l. II locis. Conferantur modo:

Fin. 86 Nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest — beatus esse potest. Tusc. 32 Ecquid scis igitur e. q. s. et § 16 Quis autem non miser non modo tunc — ita fit ut nemo omnino esse possit beatus.

Ad verbum deinde consentiunt Fin. 92 et Tusc. 16—17.

Fin. 93 sqq. Tusc. 44 sqq. Hisce potissimum locis confirmatur nostra sententia de eodem utriusque libri fonte. Sunt enim tam similes inter se, ut alterum ex altero descriptum putes. Sed etiam cum aliis nostri libri locis ille ex Fin. II magnam exhibet similitudinem. cf. Fin. 94 Fortitudinis quaedam praecepta sunt — Veneno imbutae taetros cruciatus cient. Tusc. 33 Num igitur — Resonando mutum flebilis voces refert. ibd. 55 Sed hoc quidem in dolore — Philocteteus ille clamor. ibd. 19 Aspice Philoctetam — Veneno imbutae taetros cruciatus cient.

Fin. 94 Potius ergo illa dicantur — succumbere. Tusc. 31 Nam dum tibi — animi inductione languescet. ibd. 55.

Fin. 94 Virtutis — mitigari solet. Tusc. 53 Ostendi autem — mitiorem facit. ibd. 32.

Fin. 96 Audi quid moriens dicat — discrepare. Tusc. 45 Quamvis idem — praebeat. (Haec enim verba aperte ad idem factum sunt referenda.)

Fin. 97. Tusc. 59. Uterque locus de morte Epaminondae agit. Priore loco ita pergitur „Praeclarae mortes sunt imperatoriae, philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur.“ Tusc. l. l. ita „Haec sunt solacia, haec fomenta summorum ma-

lorum. Dices, quid in pace, quid domi, quid in lectulo? ad philosophos me revocas qui in aciem non saepe prodeunt."

Fin. 113 Ad altiora quaedam — mortis contemptio. Tusc. 58 Sumus enim e. q. s.

Quibus omnibus locis comparatis dubium jam non esse potest, quin Cicero in utroque libro componendo, si minus eodem libro usus, certe tamen eundem philosophum Graecum secutus sit.

Jam vero, ut redeat unde aberravit oratio, quum primum per se sit apertum, secundum librum de finibus Stoicorum exprimere doctrinam, deinde quum demonstraverimus, ex recentioris alicujus Stoici libro aliquo illam esse sumptam, denique quum ostenderimus, illum librum cum nostro Tuscull. tot locis consentire, ut ex ejusdem philosophi scriptis utrumque depromptum esse pateat, inde jam cogere licebit, Panaetii aut Posidonii librum aliquem fontem fuisse nostri quem pertractamus libri. Cui quidem sententiae, si leviter rem inspicimus, repugnare videntur Ciceronis ipsius verba, ex quibus Peripateticorum potius eum premere vestigia fortasse colligas, quum pluribus locis impugnet Stoicorum sententiarum asperitatem atque tristitiam, imprimis § 29 et § 42. Contra Peripateticorum sententiam profiteri atque amplecti videatur Cicero aliis locis, § 30 et § 45. At vero primum nihil tribuendum esse illis locis ubi Cicero eum, quem per totum librum sequitur, auctorem castigare videtur, luculenter edocuit Heinius[1]) exemplo Tusc. libri primi, ubi § 79 vituperatur Panaetius, quem per totam priorem libri partem tacite secutus est Cicero. Deinde modo demonstraturus sum, illas objurgationes minime cadere in recentiores Stoicos quorum aliquem ducem fuisse Ciceronis adhuc collegimus. Denique singula Ciceronis argumenta sub examen vocans ostendere conabor, meram illa exhibere Stoicorum doctrinam, minime vero Peripateticorum. Puto igitur, Ciceronem hic quoque, ut solet, fontem, ex quo hausit, plane reticuisse. Et quidem, ut jam dicam quid sentiam, totum hunc librum fluxisse ex Panaetii Stoici aliquo libello, peculiariter de eadem re conscripto, satis mihi videtur verisimile.

Constat multa Panaetium novasse in philosophia, quae ab-

---

[1]) l. l. p. 6.

horrebant a genuina veterum Stoicorum doctrina, imprimisque eum illorum placita accommodare studuisse ad communem ac popularem opinionem, eaque conciliare cum veterum Academicorum et Peripateticorum decretis.[1] Quantum vero attinet ad doctrinam ejus de fine bonorum, ipsum aeque ac Posidonium primam illam asperam Stoicorum definitionem reliquisse et praeter virtutem etiam alia externa bona ad vitam beatam necessaria duxisse testatur Diogenes Laert.[2] *ὁ μέντοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐταρκη λέγουσι τὴν ἀρετὴν, ἀλλὰ, χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ χορηγίας καὶ ἰσχύος.* Sane quantum ad Posidonium repugnat huic loco aliud testimonium Senecae[3], qui nonnullas adscripsit ejus conclusiones quibus comprobetur, divitias et bonam valetudinem et similia his non esse bona, quippe quae neque magnitudinem animo dent neque fiduciam neque securitatem. Attamen Diogenis de Panaetio testimonium confirmatur alio Gellii,[4] qui quidem Panaetio illam *ἀναλγησίαν* atque *ἀπαθείαν* Stoicorum improbatam atque abjectam fuisse affirmat. Denique in promptu est gravissimus et locupletissimus testis ipse Cicero, qui, postquam Stoicos vituperavit, utpote qui solum honestum dicerent bonum, simulque appetitionem rerum ad vivendum accomodatarum a natura profectam, ita pergit[5] „Quam illorum asperitatem atque tristitiam fugiens Panaetius nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit, fuitque in altero genere mitior in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant.“ Quidnam igitur his verbis indicari censeamus, quam Panaetium praeter virtutem etiam alia bona duxisse externa necessaria, aut si hoc minus placet, quis tamen est, quin concedat, eam, quam Cicero posuit definitionem § 30 nostri libri, Panaetii videri simillimam?

Accedit aliud. Supra jam diximus, nostrum librum nihil exhibere, quod redoleat asperitatem illam ac spinosas conclusiones veterum Stoicorum, sed satis prae se ferre laxum habitum,

---

[1]) In universum conferas quae de Panaetio disputaverunt Zeller l. l. p. 205—7. Brandis Hist. philos. t. 3 a p. 150 sqq. 3 b p. 236. Ritter Hist. phil. t. 3 p. 680 sqq. [2]) VII 128 cf. ibd. 103. [3]) Epist. 87, 31. [4]) Gell. XII 5. [5]) Fin. IV 79. cf. Tusc. I 79.

ad communemque opinionem propius accedere. Eandem fuisse Panaetii disputandi rationem praeter locos modo adscriptos demonstrant imprimis Ciceronis libri de officiis, in quibus Panaetii exprimi ejusdem argumenti libros constat. Neque enim Ciceronis illi libri eam ob causam rhetorica quadam vi et copia verborum, ubertateque ac perspicuitate sententiarum prae ceteris eminent, quod Cicero longius a Panaetio recesserit, sed inde, quod Panaetius populariter ad captum hominum in re publica versantium, imprimis Romanorum, non ad scholae normam scripserit. Etenim quum colligi possit ex Off. III 2—3, Panaetii libros de officiis scriptos esse illis temporibus, quibus arctissima utebatur Scipionis et Laelii familiaritate,[1]) haec qui reputet nullus dubitabit, quin Panaetius ad usum Scipionis et Laelii et omnino Romanorum, in philosophia adhuc vel recentium vel hospitum, de officiis ad popularem potius intelligentiam quam ad Zenonis formam rationemque scripserit. Imo Cicero, si quidem discesseris a libro tertio, cujus argumentum a Panaetio praetermissum erat[2]), presse secutus esse censendus est Panaetii rationem orationemque, quum, ubi ab eo dissentit, semper adnotaverit.[3]) Audiamus modo ipsum Ciceronem de Panaetii disputandi ratione verba facientem[4]): „Aliam esse illam, quum veritas ipsa limetur disputatione, subtilitatem, aliam, quum ad opinionem communem omnis accomodetur oratio. Popularibus enim verbis esse agendum et usitatis, quum loquamur de opinione populari, idque eodem modo fecisse Panaetium.“ Cui eidem philosopho haud dubie debetur quod alio loco Officiorum[5]) Cicero dicit, quoniam non vivatur cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agatur, si sint simulacra virtutis, colendum esse ita quemque maxime, ut quisque lenioribus virtutibus sit ornatus. Atque in eandem sententiam cadit quod Seneca[6]) Panaetium refert respondisse quaerenti an sapiens amaturus esset: „De sapiente, inquit, videbimus, mihi et tibi qui adhuc a sapiente longe absumus non licet.“ Aliud igitur docebat convenire sapienti, aliud ceteris hominibus. Profecto exspectandum est, talem philosophum, si modo de dolore scripserit, perspicuis ac popularibus verbis, sententiis-

[1]) cf. Lynden l. l. p. 82. [2]) cf. Off. III 3. [3]) cf. Lynden l. l. p. 102. [4]) Off. II 35. [5]) Off. I 46. [6]) Epist. 106, 5.

que ad imbecillitatem hominum accommodatis hoc instituturum fuisse, neque satis habiturum, conclusiunculis quibusdam edocere non esse malum dolorem.

Et scripsit sane de hac re, et ita scripsit, ut dubium non esse possit, quin Cicero eandem rem pertractans ex illo libello omnes sententias et argumenta delibaverit. Unum tantummodo hujus rei extat testimonium, sed ipsius Ciceronis, quo neminem adhuc usum esse valde miror. Haec sunt Ciceronis verba:[1] „Quid enim interest, divitias, opes, valetudinem bona dicas anne praeposita, quum ille qui ista bona dicit nihilo plus iis tribuat quam tu qui eadem illa praeposita nominas? Itaque homo imprimis ingenuus et gravis, Panaetius, quum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam posuit, non esse malum dolorem, sed quid esset et quale, quantumque in eo inesset alieni, deinde quae ratio esset perferendi; cujus quidem, quoniam Stoicus fuit, sententia condemnata mihi videtur ista immanitas (γρ. inanitas) verborum.“

Jam quis dubitet, quin Panaetius dolorem inter mala numerarit, itaque illud sit confirmatum Diogenis supra adscriptum testimonium? Attamen ad meam de Tusculanorum secundo sententiam stabiliendam minime opus est hac conjectura perquam probabili; etenim Cicero tam presse secutus est quem celavit Panaetium ducem, ut ipse quoque nusquam poneret, neque esse malum dolorem, neque contra. Imo ipse quoque primum posuit, quid et quale esset dolor, quantumque in eo alieni, asperi, amari, deinde rationem addidit perferendi, quum exercitatione et consuetudine, tum ratione et sapientia. Sub finem vero iterum repetit § 66: „Debes existimare aut non esse malum dolorem aut, etiamsi quidquid asperum, alienumque natura sit id appellari placeat malum, tantulum tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat.“ Videmus quam bene hoc argumentum illius Panaetii epistolae respondeat. Satis fuisse cognitam illam Ciceroni docent duo alii loci, ubi eandem

---

[1]) Fin. IV 23.

commemorari verisimile est: „Legimus omnes Crantoris Academici de luctu. Est enim non magnus verum aureolus et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus“ [1]). Alter locus est: „Mihi quidem etiam Appii Caeci carmen quod valde laudat Panaetius epistola quadam quae est ad Q. Tuberonem Pythagoreorum videtur.“ [2])

Jamque confecta res videri possit, sententia nostra satis multis et gravibus argumentis stabilita. Attamen ne Stoicorum more satis habere videamur, conclusionibus quibusdam perquam strictis edocuisse rem potius quam ab omni parte illustrasse, singulis jam nostri libri sententiis et argumentis sub judicium vocandis accuratius demonstremus, omnia quae a Cicerone proponuntur decreta aut ipsius exprimere Panaetii placita, aut certe mitigatae Stoicae doctrinae optime convenire. Apparet, id quoque commode nobis usu venturum esse, si aliquam inter illas quae in libris de officiis exhibentur sententias atque nostri libri argumenta intercedere similitudinem demonstrare poterimus. Contra eos, quos supra jam adscripsimus, locos ex Fin. lib. 2 depromptos nunc jam, ne longi simus, plerumque omittamus. Primum igitur post cohortationem ad philosophiam diligenter colendam et latinis litteris illustrandam, sermo de dolore tolerando ita instituitur, ut refutentur sententiae Epicuri et Metrodori. Quos, quum dolorem summum malum ducant', beatos omnino non esse posse. Simili modo aliis quoque locis Cicero contra Epicureos Stoicorum argumentis disputat, ut is qui mortem in malis ponat non possit eam non timere, sic neminem ulla in re posse id quod malum esse decreverit non curare idque contemnere. [3]) Deinde jam concedit Cicero, dolorem esse tristem rem, asperam, inimicam naturae. Eandem fuisse Stoicorum doloris definitionem ipse Cicero et hic affirmat et aliis locis. [4]) Etiam sequentia verba Ciceronis: „Si fortis est in perferendo satis est officio, ut laetetur etiam non postulo,“ redolent aliquo modo Stoicorum sententiam, si quidem simili modo contra Epicurum disputat Seneca: „Audi Epicurum, dicit: Et dulce est (torqueri). Ego tam honestae rei ac severae numquam molle nomen imponam. Uror, sed invictus. Quidni hoc optabile sit?

[1]) Acad. II 135. [2]) Tusc. IV 2. [3]) Fin. III 29. cf. Off. II 7. Fin. II 94; V 93. [4]) Fin. IV 52 et V 31. cf. Senec. Epist 66. 18.

Non quod urit me ignis, sed quod non vincit." [1]) Etenim Stoici quoque concedebant, fieri non posse, quin etiam sapiens afficiatur aliquo modo omnibus rebus adversis in quas inciderit, dummodo fortiter iis resistat. [2])

Sequuntur plures a Cicerone adscripti loci e poetis carpti, quibus comprobetur, dolorem malum si minus esse, at certe videri posse. Hos quoque versus omnes in Panaetii epistola fuisse adscriptos vix affirmaverim, etsi, quum unus locus § 19 ex Accii Philocteta depromptus etiam legatur in extrema parte libri secundi de finibus, quam ex eodem nostro fonte fluxisse demonstravimus, fortasse non videtur parum verisimile, Panaetium quoque adhibuisse hos quos Accius vertit versus. Certe vero ea, quae § 26 de Philone praedicantur, eum et lecta poemata et loco adjunxisse, non ita sunt intelligenda, quasi Cicero ex Philonis aliquo libro illos versus hauserit. Illi enim praeter Academicorum illam in utramque partem dialogi specie disserendi rationem nihil in nostro loco debetur. Contra Stoicos quoque, nec solum, quem Cicero commemoravit, Dionysium, sed alios etiam, Chrysippum aeque ac recentiores, Panaetium et Posidonium, tali modo orationem ornasse constat. Et quidem Chrysippum Euripideis praecipue dictionibus usum esse audimus, quo nomine reprehensus est quodammodo a Galeno [3]), quod loco demonstrationis auctoritatem poetarum testimoniumque afferret, et totas fabulas quasi adscriberet. Idem Galenus Posidonii libris *περὶ παθῶν* crebro utens ex iisque multum referens, poetarum versus eum orationi interponere eamque historiis illustrare testatur. [4]) Et quidem Posidonius in hac re usus esse videtur multa elegantia. Id quod Panaetii suavitati et venustati optime convenire per se est consentaneum. Heinius, qui pauca de versibus in Tuscull. disputationibus adscriptis disputavit, omnes demonstravit hos versus, (qui quidem, quum Cicero in his libris Stoicos potissimum secutus sit, sunt permulti) non ab ipsis poetis sumptos esse, sed omnes a Graecis quos sequebatur Cicero philosophis, quum plerique aut ita sint Graecis

---

[1]) Epist. 67, 15. cf. 66, 14. Tiedemann: Stoic. philos. 3, 212. [2]) cf. Sen. Ep. 57 et 71. De Ira I 16. Gell. XIX 1. [3]) De Hipp. et Plat. plac. III 265, 37. [4]) l. l. IV 281, 3.

exemplis et fabellis immixti, ut una cum illis a Graeco aliquo philosopho desumpti videantur, aut eos a Crantore, Chrysippo, aliis fuisse commemoratos vel ipse pronuntiet Cicero vel aliis indiciis cognoscatur, exceptis tamen longioribus illis partibus, quae nostro loco (§§ 20—21 et 23—25) de Aeschyli et Sophoclis fabulis translatae sunt. Sane hae partes longiores sunt quam quas ab ullo Graeco philosopho, nisi a Chrysippo, qui nihil ad nos, ascriptas fuisse putare possimus. Accedit quod loco parum commodo hi versus interpositi sunt, sententiarum connexum perturbantes. Haud dubie ad manum erant Ciceroni in latinum sermonem conversi jam in juventute, ubi in talibus exercitationibus multum eum versatum esse constat. Vult igitur hisce locis demonstrare, poetas, quum lamentantes inducant summos viros, mollire nostros animos (§ 27) [1]), apparere tamen ex iis, dolori satis multum inesse alieni. Neque tamen quaerendum esse dolor malumne sit, sed firmandum potius animum ad dolorem ferendum.

Deinde jam (§ 29) in Zenonem Stoicum invehitur Cicero, cui tamen impugnationi minime confidendum esse supra jam vidimus. Ceterum minime fuisse inauditam talem recentiorum Stoicorum cum veteribus concertationem, exemplum docet Posidonii, qui apud Galenum [2]) perpetua insectatur refutatione Chrysippi de affectibus doctrinam. Veterum sane Stoicorum definitio ea erat, quam Cicero Zenonis fuisse pronuntiat, nihil bonum esse nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe: *ἡ μὲν γὰρ ἀρετή τε καὶ η κακία μόναι κατ᾽ αὐτοὺς ἡ μὲν ἀγαθὸν ἡ δὲ κακον* [3]). Deinde probare videtur Cicero hanc definitionem: „Illud et melius et verius, omnia, quae natura aspernetur, in malis esse, quae adsciscat in bonis.“ Quam quidem sententiam Chrysippum jam nonnumquam prae se tulisse ipse Cicero testatur [4]). Quam bene autem talis sententia et ea, quae nostro loco sequitur, Panaetii doctrinae atque ingenio conveniret, imprimis in epistola ad familiarem missa, neque ad scholae normam conscripta, in qua non esse malum dolorem nusquam posuerat, supra jam vidimus. Hac formula optime assequi poterat, quod sibi proposuit, ut Stoicorum doctrinam cum veterum Academico-

---

[1]) cf. Tusc. III 3. [2]) l. l. IV et V. [3]) Alex. Aphr. de fato 28. p. 28. cf. Sen. Benef. VII 2, 1. Vit. Beat. 4, 3. [4]) Fin. V 89.

rum et Peripateticorum conciliaret. Adde quoque ejus, quae traditur, summi boni definitionem: *Παναίτιος δὲ τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμὰς τέλος ἀπεφήνατο.* [1]) Deinde si pergit Cicero (§ 30): „tantum tamen excellere illud quod Stoici [2]) recte amplexantur, honestum, ut omnia praeterea perexigua et minuta videantur," hoc quoque ad communem Stoicorum sententiam quam proxime accedit. Ita Seneca affirmat[3]), quemadmodum minuta lumina claritas solis obscuret, sic dolores, molestias, injurias virtutis magnitudine elidi atque opprimi, quum haec quocunque affulserit quidquid sine illa appareat extinguat. Et simili ratione Cicero e Stoicorum sententia ita disputat[4]): „Ut obscuratur et offenditur luce solis lumen lucernae, et ut interit magnitudine maris Aegaei stilla mellis —, sic, quum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuratur et obruatur atque intereat necesse est."

Ad sequentia verba Ciceronis (§ 31): Nam dum tibi turpe e. q. s., adscripsimus jam Fin. 2, 94 locum ad verbum cum nostro consentientem.[5])

Quae sequuntur § 31, rursus jam meram prae se ferunt Stoicorum doctrinam. Supra jam vidimus horum fuisse sententiam, neminem colere posse virtutem, qui dolorem et mortem timeat. Idem nostro loco Cicero probare vult, nimirum amittendam esse omnem virtutem, imprimis fortitudinem, aut sepeliendum omnem dolorem.[6]) Id quod deinde comprobatur e singularum virtutum vi atque natura, adhibita Platonica illa virtutum divisione in quattuor virtutes principales (*ἀρετὰς πρώτας*), quam quidem Stoici dudum jam amplexi erant, quin etiam ipse Zeno jam ea usus esse videtur.[7]) Neque quidquam refert, quod

---

[1]) Clem. Alex. Strom. 2, p. 416 B. [2]) Hic quum per se pateat, istos quos Cicero dicit, Stoicos esse intelligendos, epitheta quoque quibus exornat virtutem eadem sunt Stoicorum. cf. Stob. ecl. II 179: „*τὴν δ' ἀρετὴν πολλοῖς ὀνόμασι προσαγορεύουσιν. ἀγαθόν τε γὰρ λέγουσιν αὐτὴν — καὶ ἀρεστόν — καὶ πολλοῦ ἄξιον — σπουδαῖον — ἐπαινετόν — καλόν — συμφέρον — χρήσιμον — αἱρετὸν κ. τ. λ.*" [3]) Ep. 66, 19. cf. De vit. beat. 22. [4]) Fin. III 45. [5]) cf. Off. I 61 Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest: Vos enim juvenes animum geritis muliebrem, illa virgo viri. cf. n. l. § 36. [6]) Haec uberius disputantur de aegritudinibus fortitudini repugnantibus Tusc. III Cap. 7. [7]) Stob. Ecl. II 104. cf. Zeller l. l. p. 221.

Diogenes[1]) narrat, Posidonium quattuor numerare virtutes, Chrysippum, Antipatrum plures, (nimirum principales virtutes iterum subdividentes), neque aliter se habet, quod idem Diogenes tradit, Panaetium duas virtutes statuisse, contemplativam et activam. Haec enim tantummodo alia est divisio Aristotelica, praeter quam illam quoque magis tritam atque usitatam in quattuor virtutes a Panaetio adhibitam fuisse, nemo negabit. Imo, quum Diogenis verba negligentius haud dubie Panaetii doctrinam exprimant et ita sint intelligenda, ut Panaetium duo genera virtutum posuisse putemus, addere debuit hic Stoicus, quot essent et quales utriusque generis partes, nimirum quattuor, quae sunt prudentia, temperantia, justitia, fortitudo.[2]) Itaque haec distributio fundamentum est totius argumenti librorum de officiis, ubi ex illarum quattuor virtutum vi ac natura quod cuique sit officium edocetur.[3]) Deinde quod dicit n. l. Cicero, sine prudentia ne intelligi quidem posse ullam virtutem, hanc quoque doctrinam amplexi erant Stoici, docentes, nec philosophiam sine virtute, nec virtutem sine philosophia esse.[4]) Etenim imprimis esse hominis propriam veri inquisitionem et investigationem[5]), principemque omnium virtutum esse illam sapientiam, quam *σοφίαν* Graeci vocant.[6]) Porro comites quas Cicero fortitudini addit virtutes, magnitudinem animi, gravitatem, patientiam, rerum humanarum despicientiam, in easdem partes subdividitur fortitudo a Stoicis: *τῇ δὲ ἀνδρείᾳ (ὑποτάττουσι) καρτερίαν, θαρραλεότητα, μεγαλοψυχίαν, εὐψυχίαν, φιλοπονίαν.*[7])

In sequenti capite mera exprimitur Stoicorum doctrina, qua ab omnibus aliis illius temporis disciplinis recedebant, his quidem verbis: „Ecquid scis igitur, si unam virtutem amiseris, etsi amitti non potest virtus, sed si unam confessus eris te non habere, nullam esse te habiturum?“ Primum enim Stoici docebant inseparabiles esse atque inter se colligatas omnes virtutes: *τὸν γὰρ μίαν ἔχοντα (ἀρετὴν) πάσας ἔχειν, καὶ τὸν κατὰ*

---

[1]) Lib. VII 92. [2]) Simili modo Cicero genera partesque virtutum sejungit Tusc. V 71, et III 24 perturbationes genere quattuor esse dicit, partibus plures. [3]) cf. Off. I Cap. 5. Stob. Ecl. II p. 169. [4]) Senec. Epist. 89, 8. [5]) Off. II 13. cf. ibd. 18. [6]) ibd. 153 cf. Acad. I 10. Zeller p. 219—21. Ritter p. 667. De justitia cf. Off. II 37. [7]) Stob. Ecl. II 106. cf. Diog. VII 126. Fin. II 94. Senec. Ep. 85, 25.

μίαν πράττοντα κατὰ πάσας πράττειν.[1]) Imprimis autem Panaetius virtutes inter se conjunctas et inseparabiles, tamquam uno in scopo sagittarii positas, eleganti comparatione ostendit, quam servavit Stobaeus.[2]) Quod vero Cicero nostro loco dicit, amitti non posse virtutem, hanc sententiam nulla alia disciplina prae se ferebat quam Stoica, neque ejus omnes principes, quod supra jam demonstravimus, testimonio usi Diogenis Laert., qui pronuntiat, Chrysippum sensisse virtutem amitti posse, negasse hoc Panaetium et Posidonium sequentes Cleanthem.

Postquam igitur, quid esset dolor, sub judicium vocavit Cicero, ita tamen, ut, quae sit ipsius de hac re sententia, non penitus perspici possit, pergit ad alteram disputationis partem, quae spectat ad vitae usum, ut doceat, quibus utamur fomentis doloris, quonam modo ei resistendum sit et quibus armis impugnari debeat. Ac primum quidem opprimendum esse dolorem patientia et fortitudine (§ 33). Neque enim se dolorem dolorem esse negare — cur enim fortitudo desideraretur? — sed eum opprimendum esse patientia. Similiter Seneca affirmat[3]): „Iste vero (sapiens) dolet, sensum enim hominis nulla exuit virtus; sed non timet, ex alto invictus dolores suos spectat“ (sc. auxilio fortitudinis). Itaque utendum esse putat Cicero ante omnia laboribus, consuetudine, exercitatione, quibus perpessio dolorum efficiatur facilior. Id quod pluribus deinde illustratur exemplis.

Apparet, hic, ubi passis velis navigare sibi videtur Cicero, atque nihil fere profert nisi exempla, quibus consuetudinis atque exercitationis vis comprobetur, fieri non posse, ut multa vestigia fontis, ex quo delibaverit, inveniantur. Attamen ne hic quidem Ciceronem suo Marte philosophari, nonnulla indicia extant recondita. Primum talia praecepta ad exercitationem in perferendis laboribus in omnibusque officiis persequendis minime abhorrere a Stoicorum doctrina docet Stobaeus[4]): *τὸ δὲ ἐπιτήδευμα τοῦτον ἐπιγράφουσι τὸν τρόπον, ὁδὸν διὰ τέχνης ἡμέρου ἄγουσαν ἐπὶ καὶ ἀρετήν*, nec non Diogenes[5]): *τὴν μέντοι ἄσκησιν ἀποδέξεται ὁ σπουδαῖος ὑπὲρ τῆς τοῦ σώματος ὑπομονῆς.* Exemplis ex historia repetitis orationem exornandi prae-

---

[1]) Stob. ecl. II 112. cf. 116. Diog. VII 125. cf. Cic. Parad. 3, 1. Zeller p. 225 et 230. [2]) Ecl. Eth. p. 169. cf. Off. I 15 et II 35. [3]) Epist. 85, 26. [4]) Ecl. II 122. [5]) Lib. VII 123.

ceptaque confirmandi consuetudini recentiores imprimis Stoici indulsisse videntur. Itaque Galenus[1]) de Posidonio refert: *ῥήσεις ποιητικὰς παρατίθεται καὶ ἱστορίας παλαίων πράξεων μαρτυρούσας οἷς λέγει.* Et Seneca adnotat,[2]) Posidonium non tantum praeceptionem, sed etiam suasionem et consolationem et adhortationem necessariam judicasse. Panaetium vero multum tribuisse consuetudini et exercitationi in omnibus exsequendis officiis, testificantur plures Ciceronis Officiorum loci, ubi docetur, in omni officio consuetudinem exercitationemque capiendam esse, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, itaque exercendum corpus et ita afficiendum esse, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando, maxime autem aetatem juventutis a libidinibus arcendam esse, exercendamque in labore patientiaque et animi et corporis.[3])

Id quoque attendas, singula Graeca exempla excipere n. l. unum vel duo ex Romanorum historia vitaeque consuetudine petita, unde conjici licet, illa quidem in eo, quem sequebatur Cicero, libro adscripta fuisse, haec vero ipsum addidisse. Denique hoc loco Graecum librum ad manus fuisse Ciceroni cogere possumus etiam e cavillatione, qua perstringit (§ 35) Graecae linguae, quam putat, verborum inopiam. Hanc nimirum opinatur uno nomine dolorem et laborem appellare, quum tamen aliquid intersit inter utramque notionem. Quam futilis et inanis haec sit vituperatio, nemo non videt, nam labor est *πόνος*, dolor *ἄλγος*. Videtur autem in hunc ridiculum errorem incidisse Cicero, legens in suo auctore verbum *φιλόπονος*, quod quum nullo alio modo verti posse arbitraretur quam „studiosus vel potius amans doloris,“ ad hanc otiosam cavillationem deductus est.

Accedit deinde Cicero ad extremam disputationis partem, ut doceat, dolorem esse opprimendum auxilio rationis, cujus naturae id esse proprium, ut inde toleranter pati dolorem discamus. De Stoicorum refutatione, qua haec disputatio inchoatur, jam diximus. Quod vero iis opponitur: „Ego illud, quiquid sit, tantum esse quantum videatur non puto, falsaque ejus specie et visione moveri homines dico vehementius,“ haec quam optime respondere iis, quae de doctrina Panaetii in universum disputa-

---

[1]) l. l. [2]) Epist. 95, 65. [3]) Off. I 59. cf. ibd. 60. 79. 112.

vimus, imprimis vero iis sententiis, quas, ipsius Ciceronis usi testimonio, in illius ad Tuberonem de tolerando dolore missa epistola propositas fuisse supra demonstravimus, per se apparet. Quin etiam haec minime abhorrent a genuina veterum Stoicorum doctrina, qui nonnullas quidem res speciem habere mali, quamvis malum non sint, ultro largiebantur.[1])

Ex sequentibus deinde redolet mera Stoicorum doctrina. Primum quod dicitur (§ 43), omnes animi rectas affectiones virtutes appellari, haec Cleanthis potissimum videtur fuisse definitio, si quidem *Κλεάνθης τὴν ἀρετὴν διάθεσιν εἶναι τῆς ψυχῆς ὁμολογουμένην* putabat,[2]) etsi omnium quoque reliquorum Stoicorum doctrinae optime convenit haec sententia. Deinde de fortitudine ejusque natura quae afferuntur a Cicerone, similiter jam dicta erant ab Aristone et Chrysippo, teste Galeno[3]): *ἐὰν οὖν τις τὸν θάνατον ἢ τὴν πενίαν ἢ τὴν νόσον ως κακὰ δεδιὼς ᾖ, δέον θαρρεῖν ὡς ἐπὶ ἀδιαφόροις· ἐνδείᾳ μὲν ἐπιστήμης αὐτὸν τίθενται ἀγνοεῖν τ᾽ἀληθὲς, ὡς ἂν Ἀρίστων καὶ Χρύσιππος εἴποι, κακίαν δ᾽ ἔχει ψυχῆς ἣν ὀνομάζουσι δειλίαν, οἷς ἐναντίαν ἀρετὴν αὐτοί φασιν εἶναι τὴν ἀνδρείαν, ἐπιστήμην οὖσαν ὧν χρὴ θαῤῥεῖν ἢ μὴ θαῤῥεῖν, τοὔτεστιν ἀγαθων τε καὶ κακῶν τῶν ὄντως δηλονότι τοιούτων, οὐ κατὰ ψευδῆ δόξαν ὑπειλημμένων, οἷά πέρ ἐστιν ὑγιεία καὶ πλοῦτος καὶ νόσος καὶ πενία.*[4])

De §§ 44 et 45 supra jam. Epicuro devicto ita jam pergit Cicero: „Aliunde igitur est quaerenda medicina et maxime quidem, si quid maxime consentaneum sit, quaerimus ab iis, quibus, quod honestum sit, summum videtur bonum, quod turpe, summum malum.“ Haec per se et de Stoicis et de Peripateticis dici posse apparet. Et erunt fortasse, quibus Peripateticos hic intelligi magis videatur verisimile, quum paulo ante acerbitas Stoicorum fuerit castigata. At vero, quum ita pergatur: „His tu praesentibus gemere et jactare te non audebis, loquetur enim eorum voce ipsa virtus tecum,“ dubium non esse potest, quin Cicero medicinam illam petere velit a Stoicis, quorum excelsa et splendida virtute erigi debere hominum animos consen-

---

[1]) Senec. ep. 82 Mors inter illa est, quae mala quidem non sunt, tamen habent speciem mali. cf. Gal. l. l. VII 209. [2]) Diog. Laert. VII 89. [3]) l. l. VII 209. [4]) Ad ea, quae de muneribus fortitudinis affert Cicero, compares Off. I 66 et 80.

taneum est. Etenim non licere gemere praesentibus Peripateticis, Cicero nullo pacto dicere potest, quum horum quidem disciplina affectus non modo permittat, sed modicos etiam necessarios putet, Cicero vero commendaturus sit illam, quam infra dicit, amplitudinem animi et exaggerationem quandam quam altissimam, quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus.

Summi momenti paragraphus est 47: „Reliquum est, ut tute tibi imperes. Est enim animus in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers.“ Quae quidem verba, si vulgarem opinionem sequimur, quam maxime a Panaetii placitis abhorrent. Constat, hanc fuisse Stoicorum de anima doctrinam, ut ex octo partibus eam componerent, ex principali ratione (*ἡγεμονικῷ*, *λογιστικῷ*, *διανοητικῷ*), a qua reliquae omnes dispositae sunt suis quaeque instrumentis convenienter flagellis polypi. Sunt vero ceterae septem partes: quinque sensus, *φωνητικόν*, *σπερματικόν*.[1]) Hanc etsi non omnes amplexi esse videntur distributionem, quum Zeno in tres tantummodo partes, alii in decem animum prosecuisse tradantur[2]), hoc tamen omnibus commune fuisse audimus, quod ab illa animi principali parte omnes derivarent ceteras, functiones quasi illius, quae effectrix dicitur imaginum, assensionis, sensuum, appetitus[3]): *καὶ νομίζουσιν οὐκ εἶναι τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον διαφορᾷ τινι καὶ φύσει ψυχῆς τοῦ λογικοῦ διακεκριμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ τῆς ψυχῆς μέρος· ὃ δὴ καλοῦσι διάνοιαν καὶ ἡγεμονικὸν, διόλου τρεπόμενον καὶ μεταβάλλον ἔν τε τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς κατὰ ἕξιν ἢ διάθεσιν μεταβολαῖς κακίαν τε γίγνεσθαι καὶ ἀρετὴν, καὶ μηδὲν ἔχειν ἄλογον ἐν ἑαυτῷ. λέγεσθαι δὲ ἄλογον, ὅταν τῷ πλεονάζοντι τῆς ὁρμῆς ἰσχυρῷ γενομένῳ καὶ κρατήσαντι πρός τι τῶν ἀτόπων παρὰ τὸν αἱροῦντα λόγον ἐκφέρηται.* Non igitur cupiditatem (*ὁρμήν*) et animum (*θυμόν*) singulares animi partes putabant, sed potius ex illius ipsius, quam rationem et principem vocant, derivabant motibus pravis et intemperantibus. Quam quidem doctrinam apparet adversa fronte repugnare Platonis Aristotelisque placitis, qui naturales perturbationes esse dicebant et rationis expertes, alia-

---

[1]) Plut. de plac. philos. IV 42. ibd. 21. cf. Zeller p. 182 sq.

[2]) Tertull. de anim. c. 14.

[3]) Plut. de vita mor. 3. cf. Galen. l. l. IV 3, 1.

que in animi parte cupiditatem, alia rationem collocabant. Tamen illam sententiam omnes veteres Stoici retinuisse traduntur, nisi quod Chrysippus ipse sibi non constitisse videtur.[1]) Solum Posidonium ad veterum Academicorum Peripateticorumque doctrinam hac in re audimus revertisse, multis de causis, apud Galenum l. l. uberius expositis, commotum, ut Stoicorum decreta relinqueret.[2]) Qua quidem re facile adduci possimus, ut totam argumentationem nostri libri Ciceronem a Posidonio deprompsisse suspicemur. Attamen haec sententia, etsi nullus nostri locus ei repugnat, reliquenda omnino videtur, utpote minime necessaria, quoniam indagasse mihi videor, nostrum locum minime abhorrere a Panaetii doctrina. Nihil enim de hujus sententia de animo constat, nisi quae spectant ad physicam de anima quaestionem. Audimus in sex partes eum divisisse animum, cujus rei duo sunt testes, alter Nemesius[3]): *Ζήνων δὲ ὁ στωικὸς ὀκταμερῆ φησὶν εἶναι τὴν ψυχὴν, διαιρῶν αὐτὴν εἴς τε τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ εἰς τὰς πέντε αἰσθήσεις, καὶ εἰς τὸ φωνητικὸν καὶ τὸ σπερματικόν. Παναίτιος δὲ ὁ φιλόσοφος το μὲν φωνητικὸν τῆς καθ' ὁρμὴν κινήσεως μέρος εἶναι βούλεται, λέγων ὀρθότατα· τὸ δὲ σπερματικὸν οὐ τῆς ψυχῆς μέρος ἀλλα τῆς φύσεως.* Alter testis est Tertullianus[4]): „Nunc in duas (dividitur anima partes) a Platone, in tres a Zenone, nunc in quinque et sex a Panaetio, in decem apud quosdam Stoicorum“ e. q. s.

Primum ut accuratius inspiciamus Nemesii verba, Panaetium procreatricem omnino non animae partem sed naturae voluisse, ille affirmat, contra alteram, quam Stoici ponebant, animi partem, vocis edendae facultatem, animae quidem tribuisse, neque tamen peculiarem ejus partem putasse, sed ei animi parti, quae in motione consistit, adnumerasse. Aliter enim haec verba quomodo intelligenda sint non video.

Quae quum ita sint, quamnam earum, quae restant, sex partium animi esse putemus motionem, cuinam quinque sensuum eam adnumeremus? Videmus ita ad absurda nos deduci. Itaque ego existimo, Nemesium parum accurate et negligentius Panaetii doctrinam expressisse. Hic enim Stoicorum animi distributionem

---

[1]) Gal. l. l. IV 1, 364. [2]) cf. Zeller p. 518 sqq. [3]) De nat. hom. c. 15. [4]) De anima c. 14.

relinquens haud dubie in partes Aristotelis discessit, ejusque animi partitionem amplexus est. Id quod primum eo confirmatur, quod procreationem ab animo sejunxit et naturae tribuit. Qua quidem re duplicem vim atque naturam constituit *ψυχῆς* et *φύσεως* a genuina Stoicorum doctrina, omnes vitae functiones ex principali animi parte derivante, omnino abhorrentem, ad Peripateticorum placita quam proxime accedentem.[1]) Suspicor igitur Panaetium Aristotelis animi distributione usum esse, quam Nemesius quoque l. l. adscripsit. Aristoteles enim in physicis a tribus exorsus partibus, quae sunt *θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, νοῦς, αἰσθητικοῦ* tres et quattuor posuit facultates: *αἰσθητικὸν, (φανταστικὸν), κινητικὸν, ὀρεκτικόν.* Quam si Panaetium secutum esse censebimus divisionem, intelligemus jam, quid sibi velint Nemesii verba: *τὸ μὲν φωνητικὸν τῆς καθ' ὁρμὴν κινήσεως μέρος εἶναι βούλεται*, item, quo spectent Tertulliani verba, Panaetium animum divisisse in quinque et sex partes. Quae quomodo sint intelligenda, si Panaetii partes fuisse censemus rationem et quinque sensus, prorsus non video. Quemnam enim, quum quinque tantummodo poneret partes, a Panaetio praetermissum esse censeamus sensum? Optime contra Tertulliani verba conveniunt nostrae sententiae. Prout enim *φανταστικόν* peculiarem statueret animi facultatem, vel *τῷ αἰσθητικῷ* adnumeraret, quinque vel sex profitebatur animi partes.

Quod si dubium jam non esse potest, quin Panaetius quantum ad physicam Aristotelis adhibuerit animi divisionem, apparet, eum, si sibi constare vellet, etiam in ethica a Stoicorum doctrina de affectibus e ratione, principali animi parte, oriundis recedere, et Platonis Aristotelisque de hac re sententiam amplecti debuisse, quos quidem in morali philosophiae parte duas posuisse animi partes, rationis participem et expertem, constat. Hanc alteram deinde nonnumquam iterum in duas partes (*ὁρμὴν καὶ θυμόν*) subdiviserunt. Haec de Panaetio conjectura, dummodo priorem probes, nulla eget argumentatione, sed ex illa efficitur stricta quadam necessitate. Quam quidem praeceptoris sententiam deinde Posidonius suscipiens uberius eam exposuisse et longius perduxisse cen-

---

[1]) cf. Zeller p. 505. Ritter p. 682.

sendus est, ita ut veterum Stoicorum, imprimis Chrysippi, doctrinam perpetua insectaretur refutatione, quae extat apud Galenum l. l. Cujus quidem uberiore opere atque graviore auctoritate deinde magistri doctrina oblivione obruta est atque obliterata, ita ut nullum jam locum inveniamus ubi ipsi illi eadem tribuatur. At vero recte nos judicasse apparet ex plurimis Ciceronis Officiorum locis, in quibus meram Panaetii doctrinam contineri supra jam indicavimus. Hisce in libris identidem verba fiunt de duplici illa animorum vi ac natura, de appetitu et ratione.[1]) Quibus quidem locis haud ambiguis Heinius commotus est, ut suspicaretur, Ciceronem ibi Posidonii potius quam Panaetii sententiam exprimere. Attamen monendum est, Ciceronem in libris de officiis ubique Panaetium appellare si ab eo dissentit, unde in promptu est intelligere, eum ibi semper, ubi illum non appellat, ejus disputatione atque oratione uti, praesertim quum ipse profiteatur, se sequi Panaetium excepto tertio libro de comparatione honesti et utilis, cujus argumentum a Panaetio relictum ipse suscepit. Quae quum ita sint, quis putet a Cicerone silentio praetermissam esse hanc cum Panaetio discrepantiam, quae latissime patet, et ex qua tota de affectibus doctrina suspensa est, quum Tullius, ut solent qui ex aliis describunt, semper cavillatione quadam insectetur, quos sequitur, auctores, si quam sibi visus est invenisse vituperandi occasionem.

Itaque nunc jam omnes quae obstabant difficultates sustulisse mihi videor, neque quidquam esse confiteamur necesse est, cur hic quoque Ciceronem e Panaetii libello hausisse negemus.

Attendas deinde verbis: „ratio, quae connixa per se et progressa longius fit perfecta virtus,“ indicari videri illam quam Stoici docebant *προκοπήν* sapientium.[2]) Ad totum nostrum locum adscribamus denique liceat similem Senecae[3]): „Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente[4]) summoveo. Memini ex duabus illum partibus esse compositum: altera est irratio-

---

[1]) Off. I 103. 131. 136. 141. II 18. cf. Fin. II 116. [2]) cf. Zell. p. 250. [3]) Epist. 71, 25. [4]) cf. Tusc. III 12 Non enim silice nati sumus, sed est natura in animis tenerum quiddam atque molle e. q. s.

nalis, haec mordetur, uritur, dolet, altera rationalis, haec inconcussas notiones habet, intrepida est et indomita.“[1])

Sequens caput (22), imo tota extrema libri pars, redundat Stoicorum doctrinae vestigiis. Ita statim prima quae proponitur sententia, adhuc neminem visum esse perfectum sapientem, ex illorum animo est dictum, nam Stoici illud, quod persequebantur, sapientiae simulacrum numquam aut perraro extitisse concedebant. Itaque interrogat Seneca[2]): „Ubi istum invenies quem tot saeculis quaerimus?“ et iterum[3]): „Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus secundae notae; nam ille alter tamquam phoenix semel anno quingentesimo nascitur.“ Idem alio loco[4]) profitetur, raro forsitan magnisque intervallis aetatum inveniri sapientem, neque enim magna et escedentia solitum ac vulgarem modum crebro gigni. Alii tradunt negasse omnino Stoicos sapientem unquam inveniri posse,[5]) omnes enim ajebant stultos esse, proficientes perpaucos, Antisthenem, Diogenem et, qui a Seneca summis effertur laudibus, Catonem.[6])

Adumbrari in sequentibus imaginem Stoici sapientis ex alto omnia humana despicientis atque contemnentis, dolorem et cupiditatem sentientis quidem, sed sine ulla opera vincentis, hoc satis apparet.[7]) Haec quoque erat Stoicorum consuetudo, ut exempla proponerent admiranda atque imitanda virorum honestatem in omni vitae statu servantium, atque prae ceteris eminentium virtutis splendore, quorum exemplo impelli nos debere ad honestum colendum, in omnibusque actionibus nobiscum meditari, Diogenes an Cato num ita facturi fuerint. Ita Seneca affirmat[8]), prodesse sine dubio custodem sibi imposuisse, et habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis judices. Idem Seneca admonet nos,[9]) ut ad alias cogitationes avertamus animum et a dolore discedamus: „Cogita quid honeste, quid fortiter feceris; bonas partes tecum ipse tracta: memoriam in ea, quae maxime miratus es, sparge. Tunc tibi fortissimus

---

[1]) cf. Epist. 74. Tiedemann l. l. 202—3. [2]) Tranq. anim. 7, 4. [3]) Epist. 42, 1. [4]) De const. sap. 7. [5]) Sext. Emp. adv. Math. IX 133. cf. Euseb. praep. evang. VI 8, 10. Plut. Stoic. repugn. 31, 5. Off. I 46. Ritter l. l. p. 640. [6]) cf. Diog. Laert. VII 91. Zeller 234. [7]) cf. infra § 53 et quos collegerunt locos Zeller l. l. 248 sqq. Ritter l. l. p. 642. [8]) Epist. 25, 4. [9]) Epist. 78, 17.

quisque et victor doloris occurat: ille, qui, dum varices exsecandas praeberet, legere librum perseveravit." (Spectant haec extrema ad Marium, de quo similia n. l. Cicero adscribit).[1])

Verba deinde: „Opinio est quaedam" e. q. s., omnino totus noster locus, magnam praebent similitudinem cum hoc loco Senecae[2]): „Levis est dolor, si nihil illi opinio adjecerit: contra, si exhortari te coeperis ac dicere: nihil est, aut certe, exiguum est, duremus, jam desinet. Omnia ex opinione suspensa sunt, non ambitio tantum ad illam respicit et luxuria et avaritia; ad opinionem dolemus. Tam miser est quisque quam credidit.[3])"

In extrema capitis parte quae proponitur sententia, opinionis esse, non naturae malum dolorem, mera est Stoica. Stoici enim omnes perturbationes judicio censent fieri et opinione.[4]) Ad extremam sententiam, hanc cogitationem, quid patientia aliisque virtutibus dignissimum sit, animum comprimere, adscripsimus jam Fin. II 94., locum ad verbum cum nostro consentientem. Conferas quoque, quod Seneca ait[5]) Posidonium disputasse, utilem futuram et descriptionem cujusque virtutis, quam ethologiam ipsum vocasse, quosdam characterismon appellare: „Haec res eandem vim habet quam praecipere. Nam qui praecipit, dicit: Illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait: temperans qui illa facit, illis abstinet."

Quod in sequenti capite dicitur (§ 54), animum remissione sic urgeri, ut se nequeat extollere, hac quidem remissione stultum a sapiente differri Stoici docebant. Ille enim *φαντασίαις συγκατατίθεται, προσεπιδοξάζει*, hic contra nullo negotio eas devincit. Ita Seneca[6]): „(Sapiens) toto contra illum (dolorem) pugnet animo; vincetur, si cesserit, vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt, adtrahunt in se ruinam, cui obstandum est. Istud, quod premit, quod impendet, quod urget, si subducere te coeperis, sequetur et gravius incumbet: si contra steteris et obniti volueris, repelletur. — Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti et averso."

---

[1]) cf. Epist. 95, 67 Proponamus laudanda, invenietur imitator. Anton. XI 26. Tiedemann l. l. p. 128. [2]) Epist. 78, 12. [3]) cf. Off. I 37. [4]) Tusc. IV 7. cf. Fin. III 10. Acad. I 10. Tiedemann l. l. 188. [5]) Sen. Epist. 95, 66. [6]) Sen. Epist. 78, 14 et 16.

Vix opus est adnotare, quae n. l. postulantur a viro forti ac sapiente, ut ne quid ignave aut serviliter faciat, ne ingemescat quidem unquam, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, Stoicorum tantummodo convenire excelsae et altae virtuti. [1]) Id quoque Stoici docebant, in omni actione, itaque in omnibus officiis persequendis, si quid nobis obviam veniat, cui succumbere facile sive indulgere possimus, meminisse nos debere, quaenam animi facultates contra hasce res nobis sint in promptu, eas intendamus earumque contentione resistamus necesse esse. [2]) Quod vero nostro loco iis rebus, quibus resistendum sit, adnumerantur quoque ira et libido, hoc iisdem Stoicis debetur, qui hosce affectus omnino opprimendos esse docebant atque tuebantur hanc doctrinam contra Peripateticos, necessarios illos ducentes atque utiles. [3])

Sequentia maximam similitudinem exhibent cum multis locis et libri secundi de finibus supra jam adscriptis, et librorum de officiis, et omnino ad Stoicorum doctrinam quam proxime accedunt. Primum quod dicit Cicero, ad ferendum dolorem placide atque sedate plurimum proficere cogitare quam id honestum sit, hoc saepius in Officiis premitur atque commendatur.[4])

Ut omittamus repetere, hujus capitis et initii sequentis non solum sententias sed verba quoque eadem extare in extrema parte Fin. II, totam hanc disputationem e Stoicorum commentariis fluxisse apparet. Hi enim docebant, nos natura esse studiosissimos honestatis, cujus causa omnia facienda esse, qua ut potiamur adeunda esse omnia pericula, ipsam mortem, si turpitudinem ea effugere possimus: *πάντας γὰρ ἀνθρώπους ἀφορμὰς ἔχειν ἐκ φύσεως πρὸς ἀρετὴν, καὶ οἱονεὶ τὸ (γρ. τὸν) τῶν ἡμιαμβείων λόγον ἔχειν κατὰ τὸν Κλεάνθην, ὅθεν ἀτελεῖς μὲν ὄντας εἶναι φαύλους, τελειωθέντας δὲ σπουδαίους.* [5])

Exempla sane, quae ad hanc sententiam illustrandam adhibentur, satis videntur trita fuisse in rhetorum scholis. [6]) Ad

---

[1]) cf. De Off. I 94. 103. De Fin. II 94. [2]) Epict. Ench. 10. Anton. IX 42. Tiedemann l. l. 228. 232. cf. quoque, quae ex Panaetii de officiis libris affert Gellius XIII 27. Senec. Epist. 78, 12. [3]) cf. Tusc. IV 19—26. Off. I 25. 88 sqq. Sen. de ira 1, 5 sqq. Zeller p. 216. [4]) Off. I 73. 94. 105. 131. [5]) Stob. Ecl. II 116. cf. Diog. VII 89. Sen. Epist. 108, 8. [6]) Off. I 61. Tusc. I 89. Fin. II 56. 61. 97.

sententiam denique conferas hunc Senecae locum[1]): „At enim dementem puto, qui mala imminentia non extimescit. Verum est, quod dicis, si mala sunt, sed si scit mala illa non esse, et unam tantum turpitudinem malum judicat, debebit secure pericula adspicere et aliis timenda contemnere. Mortem, vincula, ignes non timebit, scit enim illa non esse mala, sed videri."

Famae post mortem esse consulendum (§ 59) Chrysippus quidem et Diogenes negabant, ne digitum quidem bonae famae (εὐδοξίας) causa porrigendum esse docentes. Qui autem post illos fuerunt Stoici hanc propter se praepositam et sumendam esse dixerunt.[2])

Ab imperatoribus deinde ad philosophos accedens (§ 60)[3]) ignaviae Dionysii[4]) opponit Posidonii constantiam in ardentissimis doloribus servatam, hoc alterum exemplum ex sua experientia addens, quum contra satis videatur virisimile, ea, quae deinde narrantur de Africano, a Panaetio fuisse commemorata, familiari ejus et praeceptore, quem saepius Scipionis verbis usum esse identidem adnotat Cicero in libris de officiis.

Quae § 63 afferuntur, intimam exprimunt Stoicorum doctrinam. Docet Cicero, non id honestum esse, quod a multitudine laudetur, hujus enim judicio nihil tribuendum esse, sed potius amplitudine animi et altitudine dolores contemnente ornari sapientem, eoque magis, si vacet populo neque plausum captans se tamen ipsa delectet virtus. Primum constat, Stoicos omnino despexisse opinionem multitudinis, utpote quae stultitiae caligine plane teneretur implicita.[5]) Non igitur faciendum esse docebant, quod vulgo videretur, sed quod honestissimum esset et virtuti maxime consentiens,[6]) quaerendum, quid optimum factum sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit.[7])

---

[1]) Epist. 85, 22. cf. Epist. 71. 9, 3. Fin. IV 4. Off. I 81. II 43. [2]) Fin. III 57. cf. Senec. Epist. 82, 9 Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. [3]) cf. Sen. Ep. 78, 20 Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantum arma et acies dant argumenta alacris animi indomitique terroribus: et in vestimentis vir fortis apparet. [4]) cf. Diog. VII 37. [5]) cf. quos collegit locos Zeller p. 233. [6]) Sen. de beat. v. 2. [7]) Sen. Ep. 29, 10. Simili argumentatione contra Epicureos utitur Cicero Fin. II 48—50. cf. Off. I 14. 61—62. 65. 67. Sen. De v. beat. 4.

In extremo denique capite primum adumbratur Stoicorum aequabilitas atque constantia in omni statu conservanda, quam praeclaram esse profitebantur Stoici, docentes, eundem semper vultum eandemque frontem conservare nos debere,[1] omnino, si quidquam sit decorum, nihil esse profecto magis quam aequabilitatem quum universae vitae, tum singularum actionum.[2]

Deinde jam ita concluditur disputatio: Dolorem aut omnino malum non esse aut, etiamsi, quidquid asperum, alienumque natura sit, id appellari placeat malum, tantulum tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat. Eundem fuisse finem epistolae Panaetii de tolerando dolore scriptae, iis, quae supra de ea disputavimus, satis confirmatur.

Iterum deinde monet Cicero, ut omnia honestatis adipiscendae, turpitudinis fugiendae causa faciamus, hic quoque e Stoicorum animo loquens. Stoicum denique agnoscimus germanum in his verbis: „Praesertim quum paratum sit illud ex hesterna disputatione[3] perfugium,“ et iterum: „Si tanti sunt dolores, ut ferendi non sint, quo sit fugiendum tu vides.“ Voluntariam mortem sibi consciscere nonnunquam licere, Stoicorum fuisse doctrinam satis constat. Inter eas autem causas, quibus ad illam perduci possimus, enumerantur quoque dolorum faces, si quidem ita nos vexant, ut resistere nullo modo possimus[4]): *εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν καὶ ὑπὲρ πατρίδος, καὶ ὑπὲρ φίλων, κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγήδονι, ἢ πηρώσεσιν, ἢ νόσοις ἀνιάτοις.*

Jam ad finem hujus disputationis pervenimus, cujus extremam partem paulo brevius astrinximus, quum ageremus de rebus per se admodum perspicuis, quarum summas attigisse satis est, quum contra prior nostri libri pars majores praeberet difficultates. Quod si jam paucis complectimur, quod inde effecimus, demonstrasse mihi videor: Tusc. disputt. libri II argumentum nihil continere, quod abhorreat a mitigata Stoicorum doctrina, multa aliena a Peripateticorum, haud pauca contra in eo inveniri, quae ad nullam aliam disciplinam referri possint

---

[1]) Off. I 69. 90. [2]) Off. I 111. 120. Sen. Epist. 120, 9—10. De imbecillitate multorum et inconstantia loquitur Cicero eodem modo Off. I 71. cf. ibd. 62. [3]) cf. Tusc. I 118—19. [4]) Diog. Laert. VII 130. cf. Zeller 284—86. Tiedemann p. 311 sqq.

quam ad Stoicam, vel ipsius Panaetii sint propria. Et si quis monuerit, veterum Stoicorum acerbitati et asperitati non convenire elegantiam sermonis, sententiarum lenitatem, hoc ultro largimur. Imo hoc quoque concedamus, fortasse non ita scripturum fuisse ne Panaetium quidem in commentario ad scholae normam atque regulam composito. Sed quantum distat a tali libro epistola de tolerando dolore peculiariter conscripta ad erigendam hominum imbecillitatem, ubi conclusionibus uti et ratiunculis omnino absurdum fuisset! Memineris quoque, non missam esse hanc epistolam ad philosophum aliquem Graecum, Stoicae disciplinae addictum, sed ad Qu. Tuberonem, Romanum juris consultum, sororis Scipionis filium, qui recondita philosophiae nondum tenebat recognita. Qui quidem familiarissime Panaetio usus esse videtur, si quidem Cicero testatur [1]), eum, virum summa virtute et prudentia, dies et noctes philosopho operam dedisse, ubi nemo dubitet, quin philosophi nomine Panaetius intelligatur. [2])

Tubero num forte gravi morbo implicitus fuerit, quum Panaetius ad eum epistolam de dolore patiendo scriberet, dijudicari non posse apparet, id tantummodo pro certo affirmare licet, Panaetium, quomodo in libris de officiis scribendis ad Romanorum ingenium philosophiaeque intelligentiam descendit, eadem ratione haud dubie illam quoque epistolam, ad familiarem Romanum missam, accommodasse ad communem opinionem, atque omnia fugisse, quae tristitiam et acerbitatem scholae redolere possent. Confirmatur nostra sententia alio loco Ciceronis supra jam adscripto, quem ad eandem epistolam referendum esse satis videtur verisimile. [3]) Audimus ibi, Panaetium Tuberoni praecepisse, ut Crantoris libellum aureolum de luctu ad verbum edisceret. Quae quidem commendatio, fortasse in exordio illius epistolae adscripta, quantum abhorreat a veterum Stoicorum ingenio, omnes reliquas disciplinas acerrime impugnantium, apparet. Contra si Panaetius Crantoris de luctu ad verbum ediscendum putavit, quid verisimilius, quam eum, simillimam tractantem materiam de dolore patiendo, simili disputandi ratione

---

[1]) De Orat. III 23. [2]) cf. Pompon. de orig. jur. § 41 Qu. Tubero ille Stoicus Pansae auditor, ubi pro Pansae nomen Panaetii ponendum esse dudum jam monuerunt interpretes. [3]) Acad. II 135.

et similibus argumentis hoc instituisse? Itaque profecto miraremur, si nulla extarent in Panaetii epistola, itaque in Ciceronis Tuscull. lib. II indicia similitudinis cum illo Crantoris libello. Neque tamen desunt. Constat Plutarchum libellum, qui inscribitur „Consolatio ad Apollonium," hausisse ex illo Crantoris de luctu, unde factum est, ut multi illius libri loci magnam similitudinem praebeant cum nonnullis Tusculanorum libri primi et tertii sententiis ex eodem Crantore depromptis. Sed etiam cum nostri libri paucis locis. Ita Plutarchus (l. l. p. 118 D) intuendum etiam esse censet in eorum exempla, qui generose magnoque animo filiorum mortes placide pertulerint, et similiter Cicero § 52 obversentur species honestae commendat, exempla eorum, qui dolorum acerrimos morsus patienter sustinuerint, proponens.[1]) Inconstantia et ignavia multorum philosophorum castigatur a Plutarcho p. 115 B., a Cicerone in exordio libri et in cap. 25. Ne muliebriter et immoderate lamentemur admonent Plutarchus p. 114 E., Cicero § 50—51.[2]) Conferas denique Plut. p. 113 A, ubi dicitur, revera esse muliebris imbecillique animi et degeneris luctum, ad quem, ut mulieres viris, ita barbaros Graecis esse propensiores. Deinde quomodo varii barbarorum populi luctum exerceant describitur, inter quos Celtae quoque enumerantur. Hunc igitur locum conferas cum Cic. § 65 et 50.[3]) Sane admodum leves omnes hae sunt similitudines, sed si quae sunt, quomodo sint intelligendae, jam vides.

Quibus rebus expositis affirmare ego audeo, Ciceronem in Tusc. libro secundo componendo non solum nonnullas sententias sive quaedam argumenta ex epistola illa Panaetii libasse, sed presse eam, quam diu jam cognitam tenebat, secutum esse, ita ut totam argumentationem ejus in usum suum converteret, eodem uteretur ordine et rerum distributione, easdem sententias et rationes proferret. Omisit haud dubie nonnulla admiscuit quoque alia, exempla adscripsit Romana et poetarum versus ad illustrandam sententiam.

Et si quis dixerit, non esse verisimile, epistolam illam tam grandem fuisse, ut totum librum Cicero inde exprimere potuerit,

---

[1]) Quo Plutarchus ibi utitur Anaxagorae exemplo Panaetium quoque usum esse testatur idem Plutarchus de cohib. ira p. 463 D. cf. de tranquil. an. p. 474 D. [2]) cf. Off. I 61. [3]) cf. Val. Max. II 6, 11.

primum attendat, nostrum librum exhibere angustiorem amplitudinem quam omnes ceteros. Cujus de summa si deducimus exempla illa et versus e tragicis Graecis, quae restant, cur epistolae illius circuitum superare censeamus, non video. Namque ex locis illis, ubi laudatur haec epistola, apparet, non fuisse eam ejusmodi, quales Ciceronis ad Atticum et familiares, sive Senecae ad Lucilium, sed libellum peculiariter litteris mandatum, ad Crantoris commentarioli de luctu exemplum conscriptum. Omnino notandum est, philosophos Graecos saepius tales scripsisse epistolas, in quibus familiari alicui summam doctrinae aut peculiarem ejus aliquam partem popularibus verbis exponerent. Ita, ut paucis exemplis defungar, Epicuri tales tres epistolas nobis servavit Diogenes lib. X, ad discipulos missas *περὶ τῶν φυσικῶν*, *π. τῶν μετεώρων*, *π. τῶν βιωτικῶν*, quarum unaquaeque amplitudinem nostri libri fere superat. Atque similes fuisse videntur epistolae Posidonii, quae duae memorantur a Cicerone.[1]) Quin etiam Senecae ad Lucilium epistolarum moralium nonnullae sunt, eorum, quae in nostro libro Panaetio deberi vidimus, aequiparantes circuitum.

Neque omnino puto, Ciceroni in hoc libro componendo alium quoque ullum librum alius philosophi ad manus fuisse. Neque enim Cicero plures adire fontes solet, si ex uno haurire potest, quibus opus est. Itaque in iis tantummodo libris duorum vel plurium auctorum Graecorum vestigia invenimus, ubi primum Stoicorum alicujus veterum libro ad scholae normam conscripto usus est, et multum in conclusionibus et ratiunculis haesit. Tunc ex alio philosopho Academico vel Epicureo nonnulla admiscet, ut acerbitas sententiarum mitigetur et servetur sermonis elegantia. Ita rem instituit in Tuscull. lib. III, et simile quidquam modo videbimus de libro quinto. Contra in nostro libro conponendo suffecerat ei epistola unius Panaetii. Hic enim asperitatem veterum Stoicorum ita mitigaverat, ut, fundamentis quidem doctrinae servatis, propius tamen ad reliquarum disciplinarum decreta accederet, hic etiam elegantia ac venustate sermonis ita excellebat, ut praeter eum alium quoque philosophum adhibuisse Ciceronem, nulla sit causa, cur putemus.

Restat, ut paucis attingam, quid censeam de libro II de

---

[1]) Off. III 2. Epist. ad Att. II 1.

finibus. Cujus num prior quoque pars e Panaetio hausta sit, vix dijudicare velim, extremam pro certo affirmare ausus sim. Utrum vero haec pars fluxerit e Panaetii libris de sectis,[1] an delibata sit ex ejusdem libro de animi tranquillitate,[2] an alio Panaetii commentario ibi usus sit Cicero, cujus ne titulum quidem cognovimus, hoc incertum relinquo. Fortasse vero magis verisimile videatur, quae inde a § 92 de dolore afferuntur, ex eadem Panaetii epistola ad Tuberonem manasse.

Jam vero transeamus ad librum quintum. Cujus priusquam ipsam disputationem sub judicium vocamus, antea pauca de prooemii fonte praefari libet. Constat, Ciceronem in prologis librorum de philosophia scriptorum solere saepius in universum de vi atque natura philosophiae, de commodisque et jucunditatibus inde redundantibus disserere, itaque adhortationibus quibusdam ad eam diligenter colendam invitare. Et quidem censendus est in talibus quoque prooemiis Graecum aliquem philosophum imitandum sibi sumpsisse, quorum Posidonium nec non Cleanthem et Aristonem Chium, Stoicos, *προτρεπτικά*, id est adhortationes ad philosophiam scripsisse constat.[3] Ita, ut paucis defungar exemplis, secundi libri Tusc. primae §§ ex Stoici alicujus libro fluxisse videntur, et multo etiam magis dilucide Stoicorum vestigia agnoscimus in exordio libri tertii. Ubi quae disputat Cicero de perturbationibus animi morbis et aegrotationibus, et de philosophia earum medicina, item quae affert de igniculis et seminibus virtutis nobis innatis, quae celeriter malis morbis opinionibusque depraventur, quum extrinsecus tot tantaeque causae perversitatis accidant, haec omnia simillimam praebent speciem iis, quae Galenus nonnullis locis affert e Chrysippo.[4] Etiam Seneca plane similia disputat de animi sanitate et viribus,[5] de primis honesti scientiae semi-

---

1) *περὶ αἱρήσεων*, Diog. II 87. 2) *περὶ εὐθυμίας*, Diog. IX 20. 3) cf. Diog. VII 91. 129. 163. 175. 4) Gal. de plac. Hipp. et Plat. p. 437 et 460. cf. Stob. ecl. II 116 *πάντας γὰρ ἀνθρώπους ἀφορμὰς ἔχειν ἐκ φύσεως πρὸς ἀρετήν*. Bake l. l. 219. 5) Epist. 120, 4.

nibus nobis innatis[1]; idem de communi omnium pravitate simili ratione conqueritur, omnes malos nos esse, malos fuisse et futuros esse.[2]

Eadem Stoicorum vestigia agnoscimus in prooemio libri quinti. Omissis primis quattuor §§, etsi ne in his quidem desunt sententiae Stoicorum[3], primum notaverim, initium § 5 similitudinem aliquam praebere cum aliquo loco Senecae, ubi eadem fere de solatio philosophiae disputantur.[4] Deinde vero ipsum Ciceronis fontem, Posidonium, agnoscimus, quum ille philosophiae tribuat inventioni primas vitae institutiones, ita ut ea homines et domiciliis et conjugiis junxerit, inventrix eadem fuerit legum et artium, magistra morum et disciplinarum.[5] Statim enim eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerint, impulisse eam causam, ut totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent. Sed errare plerumque homines arbitrantes, eos, a quibus vita hominum instituta primis sit, non fuisse philosophos. Haec omnia e Posidonii libro aliquo deprompta esse discimus a Seneca[6], qui quidem narrat[7], Posidonium philosophiae ortum a primo mortalium genere repetisse, putasse illo saeculo, quod aureum perhibent, penes sapientes fuisse regnum, eosdem postea legislatores extitisse, tum artes quoque omnes a philosophia esse inventas et excultas, quibus in quotidiano usu vita utitur: „Illa, inquit, philosophia sparsos et casulis tectos, aut aliqua rupe subfossa, aut exesae arboris trunco docuit tecta moliri.“ In pistrinam denique, ut ait Seneca, sapientem submisit. Id quod deinde a Seneca impugnatur. Non credere se ait Posidonio, hanc philosophiam illo rudi saeculo jam viguisse. Solonem quidem et Lycurgum, Pythagoram, Zaleucum, Charondam sapientes fuisse, itaque philosophos (cf. n. l. § 7), se concedere.

Idem Seneca servavit nobis Posidonii illud praeclarum a Cicerone quoque adscriptum: „Unus dies hominum eruditorum plus patet quam imperitis longissima aetas.“[8]

---

[1]) ibd. 3. cf. Cic. Fin. V 43. [2]) Benef. 1, 10. De Stoicorum sententia de fama populari cf. Fin. III 57. Off. II 43. [3]) cf. Off. I 61. [4]) Epist. 78, 2. [5]) Iisdem laudibus effertur eloquentia a Cicerone De Orat. I 32. cf. De Invent. I 2. [6]) Quem censeo in epistolis semper fere Posidonium secutum esse, cujus identidem utitur testimonio [7]) Epist. 90, 5 sqq. cf. Zeller 249. [8]) Epist. 78, 25.

Quae omnes de primis philosophis sententiae quum nullius alius philosophi doctrinae conveniant, eosdem haud dubie Posidonii locos Cicero in hac philosophiae commendatione imitatus est, similemque fortasse quaestionem in Hortensio tractavit, quo libro universe philosophiae vituperatoribus respondit, civesque ad haec studia cohortatus est. Imo non dubito, quin et quae ex Posidonio Seneca adscripsit, et Ciceronis Hortensius, qui inscribebatur liber, et nostri libri prooemium ex eodem fonte fluxerint, ex Posidonii nimirum *προτρεπτικοῖς.* [1]) Quod si tenemus, apparet, ad Posidonium tantummodo referri posse, quae Cicero dicit de Ulixe et Nestore sapientibus, et de eodem imprimis cogitandum esse alio loco Senecae, ubi dicit, Ulixem et Herculem a Stoicis sapientes pronuntiari, invictos laboribus, contemptores voluptatis et victores omnium terrorum, quos in tempora incidisse, quibus credi posset coelum unius humeris inniti. [2]) Quam fabulam de Atlante coelum sustentante etiam Cicero n. l. una cum aliis adscripsit, ita quidem, ut hic quoque Stoicorum agnoscamus doctrinam, qui in deorum personis invenisse sibi videbantur aut vires aliquas naturae, aut claros homines primi mortalium generis, qui post mortem coelum migrassent. [3]) Denique definitio quoque sapientiae, qua utitur Cicero § 7, Stoicorum est, qui iisdem verbis usi videntur. [4])

Jam vero transeamus ad ipsam disputationem de virtute ad beate vivendum se ipsa contenta. Erat haec sententia ab omnibus fere Stoicis variis argumentis contra ceteras philosophiae disciplinas defensa, et videbimus, Ciceronem quoque in priore hujus libri parte ad eandem confirmandam nil proferre nisi mera Stoica argumenta. Priusquam vero oratione perpetua sententiam suam explicet, praemittit, ut solet, nonnullas interrogationes et responsa, ut species servetur Academicorum more in utramque partem de unaquaque re disserendi. Et

---

[1]) cf. Bake p. 36. [2]) De const. sap. 2, 1. cf. Benef. I 13. Ad eundem Posidonium referendum videtur, quod narrat Sext. Empir. IX 28 docuisse recentiores quosdam Stoicos, primos atque e terra editos homines posterioribus et sapientia et virtute multo praestitisse. cf. Cic. Tusc. I 26. [3]) cf. Tusc. I 28. Zeller 306 sqq. [4]) Tusc. IV 57. Off. I 153. II 5. Orig. cont. Celsum III 154 *ἡ σοφία ἐπιστήμη θείων ἐστὶ καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καὶ τῶν τούτων αἰτίων.*

primum quidem ad thesin suam confirmandam utitur Bruti testimonio, qui in libro, quem scripsit de virtute,[1]) commemorato etiam § 1, virtutem satis posse ad beatam vitam, neque tamen ad beatissimam demonstraverat, haud dubie pleraque depromens ex Antiochi magistri libris, quem hanc sententiam prae se tulisse declarant imprimis Ciceronis de finibus lib. IV et V.

Deinde vero Cicero sententiam suam stabilire conatur argumentis, quae Stoicorum esse ipse et hic et infra profitetur, ubi uberius eadem illorum more exponit. Ab iisdem sumpsit quae disputat §§ 15—16, et simili ratione saepius argumentatur Stoicorum defendens doctrinam.[2])

„Jam igitur confecta res videri possit. Verum tamen hoc mathematicorum est, non philosophorum, nam Stoici quoque de honesto et de summo bono separatim disputant, etsi satis esset respondere, aliud alii esse consequens“ (§ 19). Sane ita Stoici concludunt mutua conclusione, id quod Cicero etiam a. l. testatur,[3]) ubi laudat mirabilem apud illos contextum rerum. Eosdem tamen Stoicos de utraque re separatim scribendum esse affirmasse, apparet ex Seneca,[4]) qui observandum esse judicat, ne haec duo quaestiones misceantur. Imo per se colligendum esse bonum esse, quod honestum, per se rursus ad vitam beatam satis posse virtutem.

„Praesertim quum de tanta re agatur, tam gravi (§ 19). Hoc promissum tam praeclarum esse, ut, etiamsi non efficiat quod conatur, hoc ipsum magni aestimandum sit, quod pollicetur.“ Hanc quoque declamationem Stoicis debere videtur Cicero, si quidem simillimam profert de eadem re Seneca:[5]) „Non praestant philosophi quod loquuntur? — Si et paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est, quod contemnas bona verba et bonis cogitationibus plena praecordia. Quid mirum, si non ascendunt in alta, ardua agressi? Sed viros suspice etiamsi decidunt magna conantes.“

Quibus praemissis sequitur inde a § 21 usque ad § 31 disputatio contra inconstantiam Bruti ejusque magistrorum, Aristi

---

[1]) Fin. I 8. Senec. consol. ad Helv. 9. cf. Quint. I 123. Zeller 582, 1.
[2]) cf. Fin. III 29. Parad. II 17 et 19. [3]) Fin. V 83. [4]) Epist. 85, 14.
[5]) De vita beata 20 et 21. cf. Fin. V 87.

et Antiochi, qui concedunt quidem, vitam beatam virtute confici, affirmant tamen, praeter hanc alia quoque esse bona corporis et externa, quae si accedant ad virtutem, cumulari vitam beatam ita ut fiat beatissima.[1] Quae contra hosce adhibentur argumenta, Cicero, si credere ei possumus, ipse antea jam excogitaverat, quum Athenis cum Antiocho, quem tum frequenter audiebat,[2] de hac sententia disputaret. De hac quaestione infra videbimus accuratius. Id primum notandum, sub fine libri V de finibus eadem contra Antiochum in medium proferri argumenta §§ 77—87, iisdem rationibus, eodem ordine, iisdem verbis, totidem §§. Sunt sane pleraque e Stoicorum intimo ingenio hausta. Ita quae primum afferuntur argumenta, a Stoicis quoque contra Academicos fuisse adhibita videmus e Seneca, qui saepius similia profert: „Cui aliquid accedere possit, id esse imperfectum, cui aliquid abscedere possit, id esse imperfectum.“[3] „Summum bonum ex ipso judicio esse et habitu optimae mentis, quae quum suum ambitum impleverit et finibus se suis cinxerit, consummatum esse bonum, nec quidquam amplius desiderare.[4])

Laudat deinde Cicero Theophrastum, utpote, etsi molliorem, tamen multo magis sibi constantem quam reliquos Peripateticos, quum in libro, quem scripsit de beata vita, dixerit, non omnes bonos esse beatos, et in Callisthene,[5] vitam fortuna regi non sapientia. Acute enim disputantis esse, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre. Iisdem rationibus defenditur, ut jam diximus, Theophrastus Fin. V 77—79. Contra ubi ex Antiochi sententia loquitur Cicero, acriter invehitur in Theophrasti, quas dicit, molliores imbecillioresque sententias.[6]

Verum tamen monendum est, et hanc reprehensionem et illam laudem Theophrasti omnino esse iniquas, quum doctrina hujus philosophi de virtute minime tantopere ab Aristotelis praeceptoris differat, quantum Antiochus finxit et temere ei credidit Cicero.[7] Etenim ab Aristotele quoque vis fortunae minime excluditur,[8] atque ipsum illud, in quo Theophrastum vexari

---

[1]) Acad. I, 22. Fin. V 81. cf. Zeller 538—39. [2]) Plut. v. Cic. 4. Cic. Fin. V 1. Brut. 3, 15. [3]) Epist. 72, 9. [4]) De vit. beat. 9. cf. Epist. 71, 18. 92, 14. 85, 16. [5]) cf. Tusc. III 21. [6]) Fin. V 12. Acad. I 33. [7]) cf. Zeller 2*b* p. 686. [8]) Ethic. Nicom. I 10 et 11. X 9. ibd. VII 13, 3 *οἱ δὲ τὸν τροχιζόμενον καὶ τὸν δυστυχίαις μεγάλαις περιπίπτοντα εὐδαι-*

dicunt, quod neget eum, qui torqueatur et qui crucietur, beatum esse posse, Aristoteles quoque concedit. Unde apparet, ea quidem, quae de Theophrasto n. l. dicuntur, non posse e Stoico aliquo sumpta esse, quorum nullus talia fabulatus erat, sed falsam de Aristotele sententiam deberi Antiocho, defensionem vero Theophrasti e Ciceronis ipsius fluxisse ingenio, quum de his rebus cum magistro disputaret. Simili modo credidit Tullius Antiocho, quod in nostro libro saepius profert (§§ 30. 39), Aristotelem, Xenocratem, Speusippum, Polemonem, ipsum Antiochum plane eadem docuisse de virtute. Haec nimirum Antiochi erat omnia exaequantis temeraria sententia [1] inde, ut videtur, orta, ut scepticis ex discrepantia omnium scholarum id cogentibus, nihil omnino esse verum, opponeret, imo omnes et Academicos et Peripateticos re consentientes vocabulis tantummodo differre inter se. Credidit haec Cicero Antiocho, quippe qui nusquam illos Peripateticos legisset. [2]

Hoc quoque convenit cum extrema parte Fin. lib. V, quod utroque loco Academici eodem vitio laborare dicuntur, quo Epicurus. Hunc quoque putare semper fore sapientem beatum, hunc quoque laudare tenuem victum, [3] praedicare virtutem, [4] contemnere fortunam. [5]

Quae in sequentibus proferuntur §§ 28—31, magnopere Stoicorum redolent doctrinam. Sufficiat adnotare, § 28 qui sint boni, qui beati definiri Stoicorum more, [6] deinde quae dicuntur, si quidquam praeter virtutem boni sit, multa esse mala, in quibus vel uno tempore esse possit sapiens, itaque non semper eum fore beatum, haec quoque e Stoicorum animo esse pronuntiata. [7]

Postquam deinde pro domo nonnulla disseruit Cicero (§§ 32—34), remoto Zenone Stoico, utpote ignobili verborum opi-

---

μονα φάσκοντες εἶναι, ἐὰν ᾖ ἀγαθός, ἢ ἑκόντες ἢ ἀκόντες οὐδὲν λέγουσι. cf. Madv. ad Fin. V 12. Zeller 2 *b* 476. 479, 4. 480, 1. 686, 1. [1]) Fin. IV 5. Acad. I 18. 22. Leg. I 38. Off. III 20. cf. Zeller 2 a 663, 2. [2]) Ne Antiochum quidem unquam adiisse Aristotelem, a quo tamen se repetiisse suam doctrinam semper affirmat, ex iis apparet, quae de illius doctrina fabulari solet. cf. Madv. exc. 7 p. 856—59. Zeller 3 a p. 535. [3]) cf. Diog. X 144. [4]) Diog. X 132. Zeller 409, 5. [5]) Diog. X 144. Sen. de const. sap. 15. Plut. de tranq. an. 476. [6]) cf. Sen. Epist. 76, 11. Fin. III 33. Parad. 1, 9. [7]) cf. Tusc. IV 40.

fice,[1] a Platone repetere se velle ait hujus sententiae gravitatem, cujus ex dialogis duos primum adscribit locos,[2] quibus comprobetur, omnem beatam vitam illum in una virtute posuisse. Ex hoc igitur, inquit, Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

Valde autem erraret, qui putaret sequentia aliquam similitudinem exhibere cum Platonis decretis. Imo demonstraturus sum, omnia sequentia inde a cap. 13 usque ad 26 meram exprimere Stoicorum doctrinam, et Ciceronem hujus disciplinae philosophi alicujus librum non imitatum esse sed vertisse potius, plerumque ad verbum.

Sane quae primum profert de natura, quae quidquid genuit genere perfectum esse voluerit, cujus vis aliud alii praecipui tribuens et in arboribus et vitibus, et in animalibus perspici possit, has communes esse sententias Academicis et Stoicis, imo omnibus, apparet. Itaque simile quidquam legimus apud Ciceronem alio loco ex Antiochi libris depromptum,[3] ita tamen, ut, quod inde efficitur de hominis natura, satis distet ab iis, quae hic Cicero de eadem profert. Verum tamen, si initio quidem aliqua dubitatio fortasse intercedere potest, haec statim tollitur iis, quae in sequenti § disputantur de hominis natura, tum demum perfecta, si sit perfecta mens, „id est absoluta ratio, quod idem est virtus.“ Etenim Academicorum aut Peripateticorum nullus omisisset addere, tum demum fieri hominem perfectum, si corpus quoque bene sit constitutum et externa, quibus fruatur, bona suppeditent, quibus omnibus demum cumulatis perfecte beatam vitam effici illi putabant.[4]

Stoici igitur soli restant, quorum ex libris hasce sententias delibasse Ciceronem censeamus. Hi enim putabant, animum esse in corpus humanum partem divini spiritus mersam,[5] iidem

[1]) cf. Fin. V 74. [2]) Gorg. p. 470 d—e. Menexen. p. 247 e.
[3]) Fin. V 38—39. cf. 32—35. Simillima contra iis, quae n. l. de naturae vi in arboribus et animalibus apparente, item, quae de hominis natura dicuntur, affert ex Chrysippi *περὶ τελῶν* Diog. VII 85—88, et de animalibus eadem e Posidonio Sen. Ep. 121. cf. quoque Cic. Divin. II 133. [4]) cf. Zeller 538—39. 2a, 686, 5. [5]) Senec. Ep. 66, 12. cf. Diog. VII, 118. ibd. 88. Epict. Diss. I 14, 6 *αἱ ψυχαὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα.* Parad. 1, 14. Cat. maj. 78. Divin. I 110. Zeller 184, 2. Ex hac animi natura divina deorum cognosci posse ostenderat Posidonius. cf. Sext. Emp. adv. Math. VII 93.

definiebant virtutem rectam et perfectam rationem,[1]) hi quoque pronuntiant, quum omne animal primum constitutioni suae concilietur, hominis autem constitutio rationalis sit, hominem sibi non tamquam animali sed tamquam rationali conciliari,[2]) et in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit,[3]) omniaque, quae a sapiente proficiscantur, continuo debere esse expleta omnibus partibus.[4])

Iterum deinde Cicero invehitur in inconstantiam Antiochi et Peripateticorum (§ 40 sqq.), quod negent sola virtute effici vitam vel beatissimam. Hic partim iisdem argumentis utitur, quae supra jam adhibuerat (§ 29), ubi jam similes locos e Stoicis adscripsimus.[5])

Sapientem enim debere esse inexpugnabilem, saeptum, munitum, neque parvo metu aliave perturbatione praeditum sed nullo, hoc enim apparere ex fortitudinis vi atque natura (§ 41). Haec est sententia, quam Stoici iterum atque iterum variis rationibus confirmare studebant,[6]) imprimis vero contra Peripateticos demonstrare conabantur a Cicerone quoque et n. l. et in superioribus libris defensum,[7]) modicos affectus aeque comprimendos esse ac magnos. Simili comparatione ad eandem sententiam probandam usus est Seneca:[8]) „Quid, si sanum voces leviter febricantem? Non est bona valetudo mediocritas morbi. — Non enim diminutionem malorum in bono viro intelligo sed vacationem.“

Attendas definitionem quoque, qua usus est Cicero, fortitudinis Stoicorum esse. Sphaerus eam ita definiebat: „Affectionem animi legi summae in perpetiendis rebus obtemperantem,“ Chrysippus: „Scientiam rerum perferendarum, vel affectionem animi in patiendo ac perferendo summae legi parentem sine timore.“[9])

Pluribus deinde celebratur n. l. laudibus sapientis securitas, id est vacuitas aegritudinis, quam saepe Stoici sapientis

---

[1]) Tusc. IV 34. cf. Sen. Ep. 113, 2. 66, 6 et 30. [2]) Sen. Epist. 121, 14. [3]) Sen. Ep. 92, 2. cf. 76, 8. [4]) Fin. III 32. [5]) cf. quoque quae adnotavimus supra ad II 16 et Zell. p. 225. Diog. 125. [6]) Sen. Ep. 59, 14. 85, 23. De vit. beat. 5 et 7. [7]) cf. impr. Tusc. III 22. IV 40—42. Sen. Ep. 116, 1. Zeller 215—16. [8]) Epist. 85, 4. 5. 21. [9]) Tusc. IV 53. cf. Sen. Ep. 85, 24. Zeller 221, 3.

proprium bonum nominant,[1]) unde existere putant tranquillitatem animi et expulsis erroribus absolutam libertatem, ut neque deos timeamus neque homines, neque turpia velimus neque nimia, in nobis ipsis habeamus maximam potestatem.[2]) Summum bonum esse animum fortuita despicientem, aut invictam vim animi.[3]) Inde nulla vi detrahi posse sapientem, quo neque dolori neque spei neque timori sit aditus.[4])

Perturbationes contra miseriam efficere affirmat Cicero, quum omnes cum consilio et ratione pugnent. Eum igitur, qui his vacuus sit, (idque efficere virtutem, beatum esse. Sapientem autem semper ita affectum, semper igitur beatum (§§ 42—43). Supervacaneum est pluribus demonstrare, haec omnia esse mera Stoica argumenta. Sufficiat adnotasse, de quattuor perturbationibus qui loci sunt conferendi, extare apud Zellerum p. 212 et 214—15.[5])

In sequentibus deinde capitibus vertit Cicero nonnullas Stoicorum conclusiones, quibus omnibus id efficitur, quod bonum sit, id solum honestum, itaque vitam beatam virtute confici.

Ac primum quidem duabus conclusionibus utitur simillimis neque fere inter se differentibus, initio capitis 15 § 43 („Atque etiam omne bonum laudabile" e. q. s.) et sub fine § 45 („Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est" e. q. s.). Easdem fere nisi mutato ordine profert ex Chrysippo Plutarchus[6]): *καὶ μὴν ἐν τῷ περὶ καλοῦ πρὸς ἀπόδειξιν τοῦ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι τοιούτοις λόγοις κέχρηται* (*Χρύσιππος*): *Τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν, τὸ δ' αἱρετὸν ἀρεστόν, τὸ δ' ἀρεστὸν ἐπαινετόν, τὸ δ' ἐπαινετὸν καλόν. καὶ πάλιν: τὸ δ' ἀγαθὸν χαρτόν, τὸ δὲ χαρτὸν σεμνόν, τὸ δὲ σεμνὸν καλόν.* Priorem conclusionem etsi paullo contractiorem adscripsit quoque Stobaeus[7]): *πᾶν ἀγαθὸν αἱρετὸν εἶναι, ἀρεστὸν γὰρ καὶ δοκιμαστὸν καὶ ἐπαινετὸν ὑπάρχειν. πᾶν δε κακὸν φευκτόν*, alteram adhibuit Cicero a. l., Stoicorum de fine bonorum sententiam exponens.[8])

Apparet n. l. unam conclusionem suffecisse, sed Cicero in

---

[1]) Sen. de const. 13. [2]) Sen. Ep. 75, 14. cf. 29, 12. Parad. 2, 17. Zeller 217. [3]) Sen. v. beat. 4. [4]) ibd. 15—16. [5]) cf. quoque Senec. Ep. 85, 20. Vit. beat. 4. [6]) Stoicor. repugn. 13 p. 1039. [7]) Ecl. II 126. cf. ibd. 202. [8]) Fin. III 27. cf. IV 50.

eo quoque auctores suos secutus est, quod repeteret, quae semel dicta satis, id quod Chrysippo imprimis fuisse vituperationi audimus.[1]) Inter utramque conclusionem interposita sunt nonnulla alia argumenta contra Peripateticos prolata: „Non esse bona dicenda quibus abundantem liceret esse miserrimum, valetudinem, vires, externa.“ Id quod simili modo conclusione quadam confirmatur, repetita paulo infra § 46, ubi de divitiis eadem disputantur. Haec Posidonii imprimis videtur fuisse conclusio, quem ita interrogasse audimus[2]): „Quae neque magnitudinem animo dant, nec fiduciam, nec securitatem, non sunt bona; divitiae autem et bona valetudo et similia his nihil horum faciunt, ergo non sunt bona,“ item[3]): „Quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est. Opes autem et lanistae contingunt, ergo non sunt bona.“ Similiter Cicero alio loco[4]) e Stoicorum sententia disputat, nullum bonum cuiquam malo esse posse, neque quemquam in abundantia bonorum posse ipsum non bonum esse; ista omnia vero, quae dicantur bona, etiam improbos habere et obesse probis, non igitur esse bona.

Porro beatam vitam ex sui similibus partibus effici debere affirmat Cicero. Ex bonis igitur, quae sola honesta, efficiendum esse beatum: quae si mixta ex dissimilibus essent, honestum ex iis effici non posse. Eodem argumento utuntur Stoici contra Epicureos[5]): „Partem honesti non posse esse nisi honestum, neque summum bonum habiturum sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori.“

Porro nobilitatem famamque popularem non posse esse bonum, utpote stultorum improborumque consensu excitatam. Hanc quoque fuisse Stoicorum sententiam supra jam adnotavimus.[6])

Deinde quod contra Stoicos dici possit, eos tamen eadem praecipua vel producta (*προηγμένα*)[7]) dicere, quae bona Peripatetici et Academici, ita refutat Cicero, ut dicat, multo tamen plus hosce iis tribuere quam Stoicos, quum sine iis beatam vi-

---

[1]) cf. Zeller 39, 1. [2]) Sen. Ep. 87, 31. [3]) ibd. 13. cf. 10 et 16. Diog. VII 103 *ὡς γὰρ ἴδιον θερμοῦ τὸ θερμαίνειν, οὐ τὸ ψύχειν, οὕτω καὶ ἀγαθοῦ τὸ ὠφελεῖν, οὐ τὸ βλάπτειν· οὐ μᾶλλον δὲ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ὑγίεια, οὐκ ἄρα ἀγαθὸν οὔτε πλοῦτος οὔθ᾽ ὑγίεια.* [4]) Parad. 1, 7. cf. Fin. III 35. [5]) Sen. vit. beat. 15. [6]) cf. Sen. v. beat. 2. Fin. V 80 et 85. [7]) cf. Fin. III 15—16. Zeller 241.

tam confici posse negent, Stoici autem vel beatissimam sola virtute contineri profiteantur. Id quod primum iterum confirmat Socratica aliqua conclusione ex Platone ut videtur sumpta.[1]) Apparet tamen Ciceronem pergentem: „Affectus autem animi" e. q. s., nunc jam iterum ad Stoicos revertere, qui ex illa Platonis conclusione novam cogentes inde quoque efficiebant (et quidem paulo audacius), bonorum vitam esse beatam. Cicero vero haud dubie Socraticam, quam dicit, conclusionem una cum ceteris ex eo, quem sequebatur, Stoico sumpsit.

Repetitis deinde iis, quae dicta jam erant § 43, Cicero § 48 ex Stoicorum sententia[2]) bonum virum referre ait omnia ad beate vivendum, omnia vero, quae agat quaeque sentiat, eundem referre ad id, quod laudabile sit, unde iterum effici, beatam vitam sola confici virtute. Eadem Stoicorum conclusione alio loco utitur,[3]) et ea conclusio, qua sequens caput inchoatur, adhibita quoque erat ab eo Stoico, cujus doctrinam Cicero Fin. lib. III adumbravit.[4])

Hanc conclusionem deinde excipit alia, qua demonstretur, si Peripateticos sequamur effici, ut beata vita aliquid sit melius. Saepius inveniuntur similes Stoicorum ratiunculae,[5]) et eadem ratiocinatione nititur conclusio, qua utitur Stoicus, quem sequitur Cicero de nat. deor. lib. II 21: „Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione igitur mundus utitur."

Ea quoque, quae deinde concluduntur: „Quum fatentur satis magnam vim in vitiis esse ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam?" Stoicis debentur, qui ex oppositis confici opposita ratiocinari solebant, qua in re alio quoque loco[6]) Cicero eos imitatus est, pronuntians: ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse possit, sic bonum virum et fortem et sapientem miserum esse non posse.

---

[1]) cf. Plat. de re publ. III p. 400 d *τί δὲ ὁ τρόπος τῆς λέξεως, ἦν δ' ἔγω, καὶ ὁ λόγος; οὐ τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται; τῇ τὲ λέξει τ' ἄλλα.* cf. Diog. I 58. [2]) cf. Stob. ecl. II 138 *τὴν δὲ εὐδαιμονίαν σκοπὸν ἐκκεῖσθαι, τέλος δ' εἶναι τὸ τυχεῖν τῆς εὐδαιμονίας, ὅπερ ταὐτὸν εἶναι τῷ εὐδαιμονεῖν.* [3]) Parad. 2, 19. [4]) Fin. III 28. cf. IV 50. Parad. 1, 15. [5]) cf. Sen. Ep. 85, 17. Fin. V 83. Parad. 22. [6]) Parad. 1, 9.

Quibus conclusis denuo insectatur Cicero Peripateticos et Academicos, illorum Critolaum, quod animi bona et corporis quasi in libra perpenderit, ita ut illa quidem longe superare dicat.[1] Quae commemoratio Critolai ita ceteris argumentis immiscetur, ut dubium esse non possit, quin ab eo quoque Stoico fuerit facta, quem Cicero hic secutus est. Eandem librae imaginem a Critolao deinde Antiochus mutuatus est.[2]

Sequentes sententiae contra veteres in medium prolatae non multum differunt ab iis, quae supra jam erant disputata, cap. 6 et 14. „In quem cadat aegritudo, in eundem cadere necesse esse metum aliasque animi perturbationes," Cicero disputat, loco tamen minus commodo. Non enim video, quomodo haec cum antecedentibus cohaereant. Ceterum similiter Seneca argumentatur:[3] „Si das aliquos affectus, impar illis erit ratio et velut torrente quodam auferetur, praesertim quum illi non unum affectum sed universum coetum relinquis, cum quo conluctetur." Metui deinde (quem Chrysippus imprimis similiter definisse videtur: *φόβον δ' εἶναι ἔκκλισιν ἀπειθῆ λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτοῦ τὸ δοξάζειν κακὸν ἐπιφέρεσθαι*[4]), quae adhaerere dicuntur perturbationes, formitudo, timiditas, pavor, ignavia, cum eodem affectu conjunguntur a Stoicis, testantibus Diogene[5]) et Stobaeo.[6]

Hisce igitur perturbationibus vinci posse interdum sapientem Peripateticorum tantummodo armis instructum, nec vinci solum eum, sed etiam servire. Stoicos contra virtutem liberam, invictam constituere, ita ut nihil poeniteat, nihil desit, nihil obstet. Stultitiam denique et cupiditatem nunquam fore contentam, sapientiam semper eo, quod adsit.

Simili ratione multis locis disputant Stoici: „Malum esse cedere iis, quae malum vocantur, et illis libertatem suam dedere, perire hanc libertatem, nisi illa contemnamus, quae nobis jugum imponent;[7] vincere nos fortunam nisi dota vincatur;[8] eum,

---

1) cf. Stob. II 57—58. 2) Fin. V 91—92. 3) Epist. 85, 6. 4) Stob. II 172. cf. ibd. 168. Tusc. IV 14. III 25. Zeller 213, 2–3. 5) Diog. VII 112. 6) Stob. Ecl. II 174. 7) Sen. Ep. 85, 23. cf. Diog. VII 121 *μόνον δὲ ἐλεύθερον (τὸν σοφὸν), τοὺς δὲ φαύλους δούλους· εἶναι γὰρ ἐλευθερίαν ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, τὴν δὲ δουλείαν στέρησιν αὐτοπραγίας.* Stob. ecl. II 204 *καὶ τὸν σπουδαῖον μόνον εἶναι πλούσιον, τὸν δὲ φαῦλον τοὐναντίον πένητα.* 8) Sen. de const. sap. 15.

qui virtutem amplexus sit, nullo indigere, nihil cogi, liberum esse, tutum, indemnem, nihil frustra tentantem. Omnia ei ex sententia procedere, nihil adversum accidere, nihil contra opinionem ac voluntatem. Virtutem igitur perfectam illam et divinam sufficere ad vitam beatam, imo superfluere." [1]) Denique: „Nunquam expleri posse nec satiari cupiditatis sitim, neque solum multa qui habeant libidine augendi cruciari, sed etiam amittendi metu." [2])

Sequuntur cap. 19—24 exempla, quibus comprobetur, vitiis fieri homines miseros, virtute sola beatos. Haec exempla, etsi per se commodo loco hic interposita, uberius et fusius sunt enarrata, quam quod feramus. Ut omittam, quae ipse adscripsit ex Romanorum historia petita, quae de Dionysio narrantur per tria capita extensa modum certe egrediuntur. Unde has de Dionysio narrationes sumpserit, num una cum argumentis et conclusionibus e Stoici alicujus commentariis eas hauserit, hoc incertum relinquo. Conveniret fabularum extensio Chrysippo potissimum, qui totos libros adscribere solebat.

Jam vero inde a § 67 denuo merum Stoicum agnoscimus. Quae primum h. l. disputantur, dicta jam erant supra § 39 et 43, ubi pluria adscripsimus.

Adumbratur deinde imago Stoici sapientis, philosophiae, id est physicae, ethicae, logicae studiis dediti. Hunc enim esse triplicem animi fetum Cicero dicit, nimirum quod Stoici philosophiam putabant exercitationem virtutis, itaque virtutes dividebant quoque in physicam, ethicam, dialecticam. [3])

Id quoque notandum est, Ciceronem hic cum Stoicis inquisitiones de initiis et seminibus rerum, de vi atque natura deorum, physicae adnumerare, non logicae arti. [4]) Iisdem Stoicis debet, quod dicit ex cognitione omnis rationis naturae et vitae, etiam deorum, existere illam a Delphis praeceptam cognitionem,

---

[1]) Sen. de vit. beat. 16. cf. Ep. 66, 6. Parad. 2, 17. Tusc. IV 37. Sen. Ep. 85, 20. Zeller 231. [2]) Parad. 1, 6. cf. VI. Zeller 231, 5. [3]) Plut. de plac. philos. I 1. Earundem virtutum natura exponitur Fin. III 72. cf. Diog. VII 46. [4]) cf. Ritter p. 521. Zeller p. 53. De partibus quas Stoici ponebant physicae cf. Sen. Ep. 88, 20, quocum loco mirum in modum consentit Diog. VII 132—34. De Stoicorum mundo non multum ab Aristotelis differente cf. Zeller 172 sqq.

ut ipsa se mens agnoscat, conjunctamque cum divina mente se sentiat.[1] Stoici nimirum putabant physicae studium antecedere debere ethicae, et Chrysippum imprimis audimus ita disputasse: *οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδ' οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ' ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως.*[2]

Neque quisquam mirabitur, quod Cicero hic, fructus ex philosophiae studio redundantes depicturus, summas tantummodo cujusque partis attigerit.[3]

Stoicis deinde adstipulatur Cicero dicens, talibus studiis sane ingenuam existere delectationem et dignam sapientis, transire tamen eundem sapientem ad rem publicam tuendam e. q. s. Haec enim Stoicorum erat doctrina,[4] et Chrysippus adeo existimabat, vitam otio litterario deditam et a magistratu gerendo remotam nihil differre a voluptaria.[5]

Ad haec omnia beatae vitae gaudia adjunguntur denique § 71 fructus amicitiarum, in quibus doctis positum esse affirmatur quum consilium omnis vitae consentiens et conspirans, tum 'summam jucunditatem e quotidiano cultu atque victu. Eadem de amicitia judicant Stoici, quam adhibendam esse censent, quia sit ex genere eorum; quae prosunt.[6] Iidem dicunt, amicitiam solos inter bonos, quos sibi invicem studiorum similitudo conciliet, posse consistere. Porro amicitiam ipsam quandam societatem pronuntiant omnium, quae sunt ad vitam necessaria, quum amico ut nobismet ipsis utamur.[7]

Quae in sequenti capite praedicantur de sapiente, ipsam fortunam vincente,[8] item, quae de Epicureis, non multum differentibus a judicio ferarum,[9] et de Academicis monentur,

---

[1]) cf. quae adnotavimus de hac doctrina ad § 38. [2]) Plut. Stoic. rep. 9, 5. cf. ibd. 9, 6 et simillimum locum Fin. III 73. Ritter p. 527. [3]) De Stoicorum ethicae divisione cf. Maduig. exc. 5. Zeller 190, 1. De logica arte Diog. 42 et 62. cf. Ritter 521. Zeller 54. 58 sqq. Fin. III 72. De Orat. II 157. Sen. Epist. 81, 9. [4]) Fin. III 64. Diog. VII 121. [5]) Plut. Stoic. repug. 2. cf. Zeller 47, 3. 272, 1—4. [6]) Fin. III 70. [7]) Diog. VII 124. Stob. II 184 sqq. Sen. Ep. 78, 3. Off. I 56. cf. Zeller 196, 1. 269—70. [8]) cf. Parad. 5, 34 — cui quidem (sapienti) etiam, quae vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit. [9]) cf. Par. 1, 14 Quae quidem (Epicuri) vox mihi pecudum videtur esse, non hominis.

— haec omnia ex eodem fonte fluxisse unde superiora capita sunt deprompta et per se apparet, et Cicero ipse h. l. profitetur (§ 76). Omnino hanc disserendi rationem Stoici saepius adhibuisse videntur ad sententiam suam, imprimis contra Academicos et Peripateticos, stabiliendam, ut interrogarent: „Quid, si Epicurus haec dicere potuit, quid nobis faciendum est?“ Ita Seneca argumentatur [1]): „Epicurus quoque ait sapientem, si in Phalaridis tauro uratur, exclamaturum: „Dulce est et ad me nihil pertinet.“ Quid miraris, si ego paria bona dico unius in convivio jacentis, alterius inter tormenta fortissime stantis? Quum, quod incredibilius est, dicat Epicurus, dulce esse terroris.“ Idem alio loco [2]): „Quod si Epicurus quoque, qui corpori plurimum indulsit, adversus injurias surgit, quid apud nos incredibile videri potest, aut supra humanae naturae mensuram excurrentia? — Quid porro non aeque incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum dicere, beatus sum? Atqui haec vox in ipsa officina voluptatis audita est. Quare ergo incredibilia ista sunt apud eos, qui virtutem colunt, cum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperavit?“

Hic jam subsistamus, ut perscrutemur, cujusnam Stoicorum scriptis Cicero in hac priore libri parte usus sit. Ac primum quidem, si obiter rem inspicimus, de Chrysippo fortasse cogitandum putemus, quum multae in nostro libro inveniantur sententiae et ratiunculae, quas Chrysippo imprimis a veteribus tribui vidimus. Attamen hoc nihil de fonte nostri libri probat. Meminerimus modo, Chrysippum totam Stoicorum doctrinam ab omnibus fere partibus tam perfectam et absolutam reliquisse posterioribus, ut nihil ab eo praetermissum videatur, [3]) ut fulsisse ipse putetur porticum Stoicorum, [4]) quorum nominatur *ἡγεμών*: [5]) *εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος οὐκ ἂν ἦν στόα.* [6]) Imprimis vero ei debentur omnes fere conclusiones et definitiones, quibus posteriores libentissime utebantur. [7]) Itaque nullus inveniatur Stoicorum liber, quin redundet Chrysippi sententiis. Unde hoc

De Epicuri sententiis h. l. adscriptis cf. Zeller 404, 6. Plut. adv. Col. 17,3. Tusc. III 33 et 35. Zeller 407, 3—5. Extat similis Epicuri refutatio Fin. II Cap. 30. cf. Plut. n. p. suav. viv. 18. [1]) Epist. 66, 17. [2]) De const. 15. Epist. 92, 23. [3]) Fin. I 6. [4]) Acad. II 75. [5]) Athen. 335 b. [6]) Diog. VII 183. [7]) cf. Zeller 212—18.

quoque apparet, Ciceronis in libro aliquo si quae extant sententiae, quae Chrysippo potissimum tribuuntur, sive nonnullae definitiones inveniuntur a Chrysippo primum adhibitae, non magni momenti hoc esse posse fontes Ciceronis investiganti. Tales enim Chrysippi sententias Tullius e recentioribus quoque Stoicis sumere potuit, ad quos illius definitiones propagatae erant. Contra vero elucet, maximi esse momenti, si invenimus in Ciceronis libro aliquo vel pauca, quae recentioribus tantummodo Stoicis conveniunt, quorum scripta Ciceronem perlegisse multo quoque videtur verisimilius. Itaque supra jam vidimus, Fin. lib. II, quamvis Chrysippi ibi ita mentio fieret § 44, ut vel Maduigius inde in errorem inductus esset, haustum tamen esse e Stoici scriptis multo recentioris. Quae eadem res multo magis dilucide apparet ex Fin. lib. III. Ibi enim quamquam disputatio Catonis ducitur a sententia, prorsus eodem modo a Chrysippo apud Diogenem Laertium exposita, quamquam multa quoque alia, et pluria quidem quam in nostro libro, ad Chrysippi auctoritatem referri possunt, ut quae § 27 et 46 et 66 et 73 dicuntur, quamquam nonnullis locis ipse Cicero Chrysippi nomen adscribit (§ 57 et 67), tamen Maduigius luculenter edocuit,[1]) Ciceronis fontem ibi non Chrysippi, sed multo recentioris Stoici commentarium fuisse, quem affirmare possumus non ante Carneadem vixisse et Diogene Babylonio multum usum esse.[2]) Pleraque vero, quae in nostro libro Chrysippo tribui possint, quum exstent quoque in Fin. lib. III (cf. §§ 27. 28. 70. 72. 73), apparet, nostrum quoque librum depromptum esse posse e recentiore aliquo Stoico. Et quo usus est Maduigius quoque argumento in investigando fonte Fin. lib. III, eam partem disputationis, qua exponitur differentia Peripateticae et Stoicae sententiae, (§ 41 sqq.) etsi dogmata habentem omnium Stoicorum, tamen formam habere videri ab aliquo, qui cum Carneade, ut Diogenes, aut post eum vixerit, eodem argumento simili ratione nos uti possumus, quum Critolai fiat commemoratio (§ 51), loco ita Stoicorum ratiocinationibus inserto, ut dubium non esse possit, quin mentio ejus facta quoque fuerit ab eo Stoico, quem Cicero hic secutus est.

---

[1]) Exc. 5. [2]) Hoc quisque Maduigio concedat necesse est. Num vero de ipso Diogene cogitandum sit, adhuc incertum relinquatur.

Possimus igitur, quum aliae quoque multae similitudines intercedant (cf. Fin. III §§ 29. 32—35. 42. 43—44. 57. 62. 63. 68) conjicere, utrumque librum ex eodem fonte fluxisse, itaque, ut Maduigius vult, ex Diogene aut aliquo Diogenis sectatore.

At vero in nostro saltem libro componendo puto Ciceronem sibi ducem elegisse vel ipso Diogene multo recentiorem. Constat Stoicos conclusionibus suis et definitionibus adjungere solitos esse refutationem aliarum disciplinarum, ita quidem, ut quisque contra aequalis potissimum alicujus doctrinam disputaret. Ita a Zenone impugnatum esse audimus imprimis Arcesilam,[1] a Chrysippo Epicurum,[2] Carneadem ab Antipatro[3]. Et simili ratione is Stoicus, quem in nostro libro secutus est Cicero, scripsisse videtur contra aliquem Peripateticorum aut Academicorum. Epicurei enim paucis tantummodo attinguntur, et ita, ut Peripatetici et Academici eodem vitio inconstantiae laborare dicantur. Contra id urgetur (imprimis § 47), magnopere dissidere Stoicos ab hisce, imo tota disputatio spectat ad eorum refutationem. Atque hoc quidem conveniret etiam Stoico, qui cum Carneade aut post eum vixerit, nam hic primus contendit, quum quaecunque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda (praecipua) viderentur, neque tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonae valetudini, ceteris rebus ejusmodi quam Stoici, cum ea re, non verbis ponderarentur, causam non esse dissidendi.[4] Contra Carneadem igitur Stoicus, quem Cicero sequebatur, disserere potuit (§ 47): imo magnopere differre Stoicos a Peripateticis, illos enim beatam vitam istis rebus compleri negare, hos autem sine iis esse nullam putare aut certe non beatissimam. At vero hic idem locus ne de Stoico Carneadis aequali cogitemus vetat. Disputatur enim et hic et aliis locis n. libri (§§ 23. 29. 40. 47) contra eum potissimum philosophum, qui virtute beatam quidem vitam effici posse docuerit, negarit tamen beatissimam. Jamque igitur quaeritur, quinam hic philosophus fuerit. Sane si Ciceronem audimus (§ 39), non unus sed multi eandem sententiam amplexi sunt, ipse Aristoteles, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Antiochus. Sed haec confusio

---

[1]) cf. Geffers: De Arcesila p. 24 sqq. [2]) Diog. X 26. [3]) Euseb. praep. Evang. 14, 8. Plut. de Garrul. 23. cf. Geffers l. l. 16. [4]) Tusc. V 120. cf. Fin. III 42. IV 72.

veterum cum Antiocho eidem Antiocho debetur, nam illi nunquam tale quidquam docuerunt. Id quod de Aristotele per se apparet. Ceteris autem id quidem commune, contineri summum bonum omnibus et animi et corporis et externis bonis. De singulis vero audimus, Polemonem affirmasse, beatam vitam esse contentam naturae bonis aut plurimis, aut maximis,[1] Speusippum vitam beatam dixisse: *ἕξιν τέλειαν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσιν*,[2] Xenocratem finem censuisse honeste vivere, fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet.[3] Sed quae n. l. refutatur a Cicerone distinctio inter beatam vitam et beatissimam, quarum illa una virtute contineatur, haec omnibus cumulatis bonis, haec distinctio nullo alio loco veteribus tribuitur, quos quantopere inter se dissensissent vidimus, sed ab Antiocho demum est inventa, quem veteribus suam ipsius sententiam supposuisse solitum esse, ut majorem sibi conciliaret auctoritatem, supra demonstravimus. Unus tantummodo locus est Senecae, quo eandem fuisse Xenocratis et Speusippi doctrinam adduci possimus ut opinemur. Haec sunt verba Senecae[4]: „Xenocrates et Speusippus putant beatum vel sola virtute fieri, non tamen unum bonum esse quod honestum.“ Hoc revera ita esse jam vidimus. Deinde ita pergit Seneca: „Epicurus quoque judicat, qui virtutem habeat beatum esse, sed ipsam virtutem non satis esse ad beatam vitam, quia beatam efficiat voluptas, quae ex virtute est, non ipsa virtus. Inepta distinctio; idem enim negat unquam virtutem esse sine voluptate“ e. q. s. His igitur omnibus, et pluribus etiam, interpositis pergit demum Seneca: „Illud autem absurdum est, quod d i c i t u r, beatum quidem futurum vel sola virtute, non futurum autem perfecte beatum.“ Apparet luce clarius, hic jam novum philosophum refelli, neque referenda esse haec verba ad Xenocratem et Speusippum longe antea commemoratos. Neque dubium mihi est, quin hic quoque Antiochus sit intelligendus, qui solus hanc sententiam profitebatur. Omnino vero ineptam esse Antiochi de veteribus sententiam vel eo intelligitur, quod Aristoteli eandem doctrinam tribuit, qui nunquam tale quidquam disputavit.

---

[1]) Clem. Alex. Strom. lib. II p. 419. [2]) Clem. Alex. Strom. lib. II p. 418. [3]) Plut. comm. not. c. 23. [4]) Epist. 85, 15.

Docuerint tamen veteres omnes Academici et Peripatetici, vel ipse Aristoteles, quae ab Antiocho iis tribuuntur, quid tandem, quum dubium non sit, quin Stoicus, quem n. l. Cicero sequitur, tam recens fuerit, ut Carneadis et Critolai decreta noverit, quid igitur hunc Stoicum commovere potuit, ut illam doctrinam, a nullo omnino ejus temporis philosopho retentam, pluribus refutaret? Cui id potius fuisset consentaneum, ut Critolai, cujus semel tantummodo mentio fit, aut alius aequalis doctrinam pluribus impugnaret, quam ut obsoletam veterum sententiam denuo multis argumentis refelleret. Vide contra quam bene hoc conveniat Stoico aequali Antiocho, qui hanc doctrinam aut renovavit et denuo protulit, aut primus ipse excogitavit et veteribus supposuit. Erat autem Antiochi sententia de virtute et vita beata haec fere: „Summum bonum esse, vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente. Naturae vero optimum statum expleri demum adjunctis corporis et externis bonis ad virtutis usum idoneis, ita quidem, ut etiam sine iis sola virtute possit beata vita exsistere, compleatur tamen iis beatissima.“ [1]) Hujus igitur doctrina a Cicerone, sive ab eo quem sequitur Stoico, refellitur. Idem vero Antiochus de variis philosophorum disciplinis ita censebat, ut non solum omnes veteres Academicos et Peripateticos re congruentes verbis tantummodo differre doceret,[2]) sed etiam Carneadis denuo uteretur sententia, a Cicerone § 47 refutata, inter Stoicos et illos veteres nihil praeter verborum novitatem interesse,[3]) idem denique Critolai librae imagine usus erat,[4]) irrisa a Cicerone § 51. Et si quis dixerit, Ciceronem a Stoicis mutuatum esse tantummodo conclusiones, omnia alia vero, quae contra Antiochum dicuntur, ipsum illum excogitasse, praesertim quum ipse dicat, se de hac re cum Antiocho Athenis disputasse, huic concedendum quidem est, et concessimus supra jam, ea, quibus Theophrasti sententia defenditur (§ 24), haud dubie ipsius Ciceronis credulitati deberi, atque eidem tribuendum esse confusionem omnium veterum, quos idem cum Antiocho docuisse putat.[5]) Contra vero monendum est, et mo-

---

[1]) cf. Zeller 538—39. [2]) Cic. Acad. I 17. 22. ibd. II 15. 136. Fin. V 7. 14. 21. [3]) Acad. II 15. Fin. V 22. 74. 88. Nat. Deor. I 16. [4]) Fin. V 91—92. [5]) Ea quoque, quae de uno Xenocrate § 51 profert Cicero.

nuimus jam, ea, quae sequuntur Theophrasti defensionem (§§ 28—31), meram Stoicorum exprimere doctrinam. Porro id quoque jam vidimus, ea, quae praemittuntur ipsi disputationi (§§ 15—20), omnia esse Stoica. Deinde vero attendas, eadem fere infra, ubi perpetua oratione Cicero disputat, repeti argumenta, ita conclusionibus et definitionibus Stoicorum immixta, ut nemo ab his illa segregare possit (cf. §§ 39—40. 43. 45. 46. 52—53.). Ipsa denique Antiochi sententia de vita beatissima refellitur quoque § 47 conclusione quadam, quam Socraticam esse Cicero affirmat, quam tamen una cum ceteris eum e Stoico aliquo sumpsisse jam vidimus. Id quoque denuo monuerim, ea, quibus Cicero usus est contra hanc doctrinam argumenta, imprimis ea, quae ipse excogitasse videri possit, afferri contra eandem sententiam pluribus locis a Seneca, [1]) unde haec quoque argumenta Stoicorum esse elucescit. Quibus omnibus conclusis jam pro certo affirmare audeo, Ciceronem in hac priore n. l. parte vertisse aliquem Stoicorum Antiocho aequalem, itaque Posidonium, nam ceteri nihil valent. Convenit huic sententiae optime similitudo tot Senecae locorum, quem Posidonium imprimis secutum esse jam diximus.

Ad eundem vero exitum pervenimus etiam alia ratione. In §§ 68—72, ubi Stoici sapientis imago adumbratur, et tres partes philosophiae, quarum studio ille deditus sit, enumerantur, primo loco ponitur physica, secundo ethica, tertia logica. Quod caveas ne fortuito accidisse putes. De ordine enim harum trium partium valde inter se dissentiebant Stoici. Chrysippus quidem, Archedemus, Eudromus logicam primam partem, secundam physicam, tertiam ethicam statuebant, Ptolemaeensis contra Diogenes [2]) ab ethicis inchoabat, Apollodorus ethicam secundo loco constituebat, et ita etiam Panaetius et Posidonius censebant, quos a physicis initium sumpsisse Phanias narrat, Posidonii

---

haud dubie ipse adscripsit, nam Xenocrates illa minime docuit, quae Cicero ei tribuit. [1]) cf. Ep. 71, 18. 72, 9. 92, 14. Imprimis vero Epist. 85, idem tractans argumentum de virtute ad vitam beatam explendam satis efficace, nostro libro est simillima, cujus prioris partis omnes fere paragraphos supra ad varios n. l. locos adscripsimus. cf. imprimis §§ 4. 5. 9. 10. 13. 14. 16. 18. 20. 21. 23—24. [2]) cf. Zeller p. 43.

necessarius.[1]) Eundem ordinem Posidonio tribuit Seneca[2]): „Quemadmodum, inquit, (sc. Posidonius) est aliqua pars philosophiae naturalis, est aliqua moralis, est aliqua rationalis.“

De Panaetio hic omnino non cogitari potest, ille enim nunquam talibus conclusionibus et ratiunculis usus esset, quibus redundat n. liber, quod contra discipulum ejus libenter fecisse videmus ex Seneca, qui saepius affert, et quidem adscripto ejus nomine, Posidonii conclusiones.[3]) Imo nonnullas ei tribuit, quibus Cicero quoque usus est, id quod majoris momenti est quam primo aspectu videatur. Etenim quum Chrysippi plerumque conclusionibus etiam recentiores Stoici uterentur, paucae tantummodo ab his sunt additae, neque, si quam Posidonius effecit, ex ullo alio Stoico Cicero eam haurire potuit.

Deinde quod supra dixi, mirari nos debere, quod ita a Cicerone inchoetur disputatio, ut primum adhibeatur testimonium Platonis (§§ 34—37), et ex ejus sancto quasi augustoque fonte omnem orationem manaturam esse dicatur, quum tamen omnia sequentia sint mera Stoica, hoc jam, quomodo intelligendum sit, videmus. Una enim cum ceteris haec Platonis testimonia e Stoico suo descripsit, quem Posidonium fuisse inde iterum efficimus. Sane Panaetium quoque Platonis ingenium summis laudibus celebrasse jam vidimus, sed de hoc quum cogitari omnino non possit, solus restat Posidonius, de quo eadem refert Galenus[4]): *καίτοι καὶ τοῦ Πλάτωνος θαυμαστῶς γράψαντος, ὡς καὶ ὁ Ποσειδώνιος ἐπισημαίνεται, θαυμάζων τὸν ἄνδρα, καὶ θεῖον ἀποκαλεῖ, ὡς καὶ πρεσβεύων αὐτοῦ τά τε περὶ τῶν παθῶν δόγματα καὶ τὰ περὶ τῶν τῆς ψυχῆς δυναμέων.*

Posidonius Antiocho aequalis haud dubie contra novam ejus doctrinam surrexit Stoicorum dogmata defensurus. Quamquam enim aliis in rebus, ut in doctrina de affectibus, ad Platonem et Aristotelem propius accessit, in doctrina de summo bono et de vita beata multo severius quam Panaetius magister Stoicorum decreta retinuit, plures conclusiones efficiens, quibus comprobaret praeter virtutem nullum omnino esse bonum.[5])

---

[1]) Diog. Laert. VII 40. [2]) Sen. Epist. 88, 20. [3]) cf. imprimis Ep. 87. Zeller 199. [4]) Galen. Hipp. et Plat. IV 7 p. 421. cf. ibd. V 6 p. 472. [5]) Sen. Ep. 87. impr. §§ 31. 34. 36. Zeller 505, 4. 199, 1.

Antiochi doctrinam traditam esse constat a Cicerone Fin. lib. IV et V, quos illius sententias exprimere ipse profitetur.[1] Et quidem lib. IV Stoicorum tantummodo continet refutationem, quintus ipsius Antiochi doctrinae expositionem. Quare fortasse haud ineptum erit putare, primum Antiochum novam suam doctrinam ita adumbrasse, qualis nunc exponitur in Fin. lib. V, contra quem Posidonium librum edidisse, e quo noster fluxit, et hunc deinde refutatum esse ab Antiocho scripto, a Cicerone Fin. IV expresso.[2] Sed haec conjecturae, non multum fortasse valentes. Contra si quaerimus, quonam Cicero Posidonii libro usus sit, cogitandum est haud dubie de ejus commentario, qui inscribebatur: ἠθικὸς λόγος, quem plures libros complexum esse audimus.[3] His libris contra Antiochum editis quum uteretur Cicero, una cum Ascalonita refutari quoque posse veteres Academicos et Peripateticos putavit, quorum eandem fuisse cum Antiocho doctrinam huic temere credidit.[4] Itaque nonnullis locis illorum nomina una cum hujus adscripsit, aut sola quoque pro hujus posuit. Nunquam enim ipse veterum libros adierat.[5] Neque verisimile est, ipsius Antiochi libros ei ad manus fuisse nostrum librum componenti, quum contra ex ipso Theophrasto videantur expressa, quae §§ 24—25 ex libris ejus afferuntur, e quibus aliis quoque locis verba adscripsit.[6]

Posidonium vero familiarem fuisse Ciceroni constat,[7] qui audierat illum Rhodi[8] et postea semper familiarissime eo utebatur, quem Stoicorum imprimis legisse se ipse affirmat.[9]

Jam vero ut pergamus porro, Cicero § 76 se jam a laqueis Stoicorum recedere velle ait, concedens jam Peripateticis tria genera esse bonorum, dum corporis et externa tantummodo quia sumenda sint appellentur bona, animi autem tam longe se pandant, ut qui ea adeptus sit, beatus non solum, sed etiam beatis-

---

[1]) cf. Madv. exc. 7. [2]) cf. Fin. IV, 20. 23—27. 28. 45. 46. 48—51. [3]) Diog. VII 91. [4]) Fortasse vero hic error ipsi Ciceroni debetur, parum Antiochum intelligenti. Videtur enim, ut apparet ex Fin. IV et V, Antiochus id tantummodo dixisse: veteres inter se omnino consentire, eorumque doctrinam se ipsum repetere velle. Cicero vero inde effecit, veteres quoque de beatissima vita eadem quae Antiochum censuisse. [5]) cf. Madv. p. 859. [6]) Fin. V 86. cf. ad Attic. II 3, 3. Acad. I 33 et 35. [7]) cf. Nat. Deor. I 123. [8]) Plut. Vit. Cic. 4. Cic. Nat. Deor. I 3. [9]) Fin. I 6. cf. Zeller 511.

simus nominari possit. Sane ne haec quidem a Stoicorum placitis abhorrent. Imo audimus vel ipsum Chrysippum quodammodo concessisse et largitum esse volentibus, ut praecipua ista (sumenda) boni vocabulo afficiant.[1])

Neque tamen dixerim, has quoque sententias deberi nostro loco eidem Stoico, cujus ex commentariis omnia antecedentia sunt hausta. Credamus potius Ciceroni, se superiora tantummodo vertisse affirmanti, praesertim quum, quae in duobus sequentibus capitibus proferuntur, omnino sint otiosa. Primum enim sine omni sententiarum connexu pergit Cicero, dolorem quidem huic sententiae maxime videri repugnare, eum fortasse extimescere sapientem. Deinde vero quaero, quo jure Cicero contra mortem tantummodo et animi perturbationes superiorum dierum disputationibus paratos nos dicere possit, dolorem contra acriorem videri virtutis adversarium, ita ut, quomodo hic sedari possit, iterum demonstrandum putet, quum tamen per totum secundum librum jam de eadem re egerit. Intelligi hoc non posse arbitror, nisi statuimus, Ciceronem hic jam a fonte suo recedentem suo Marte nonnulla philosophari. Id quod vel inde apparet, quod de tolerando dolore nihil novi omnino praecipit, sed satis habet nonnulla exempla, quae partim jam in secundo libro ex Panaetii epistola adscripserat,[2]) denuo iisdem fere verbis attulisse.

Etiam in sequenti capite agnoscimus otiosa Ciceronis additamenta, quum nihil ibi proferatur, quod non in antecedentibus jam multo accuratius et uberius fuerit disputatum (cf. § 13 et 15). Itaque omnia redolent Stoicorum doctrinam, quorum denique utitur definitione finis bonorum (§ 82), quae, etsi omnium hujus disciplinae philosophorum decretis conveniens, ab Antipatro tamen videtur potissimum adhibita, hunc constituente finem: *ζῆν ἐκλεγομένους μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλεγομένους δὲ τὰ παρὰ φύσιν διηνεκῶς.*[3])

Haec igitur duo capita si omisisset Cicero, nihil desideraremus. Imo in priore quae afferuntur, ab hac disputatione omnino sunt aliena, et quae disputantur cap. 28, sententias continent non solum otiose iteratas, sed etiam mirum in modum

---

[1]) Plut. Stoic. rep. 30, 4. [2]) cf. Lib. II 34. 52. 62. [3]) Stob. Ecl. II 132. cf. Fin. III 31. Diog. VII 88. Zeller 194, 2.

confusas. Etenim apparet, verba: „Stoicorum quidem facilis conclusio“ e. q. s., carere omni connexu, et cum antecedentibus, et cum sequentibus, et simili ratione paulo supra verba: „Sapientis est enim proprium“ e. q. s., loco interposita esse parum commodo, quum minime contineant confirmationem prioris enuntiati, quae tamen indicari videtur particula enim. Haec sententiarum perturbatio inde videtur orta, quod, ipsa disputatione cap. 26 ad finem perducta, Cicero, qui verbis semper abundat, duo nova capita effecerit, ex memoria Stoicorum nonnullas conclusiones et aliquot argumenta repetens, parum tamen curans sententiarum ordinem et connexum. Quod, qui non ignorat, quomodo Cicero suo Marte philosophari soleat, non mirabitur.

Si vere philosophus et sibi constans unquam fuisset Cicero, haud dubie priori hujus libri parti nihil addidisset, sed finem fecisset disputationis, Stoicorum doctrina de beata vita satis accurate cap. 5—26 exposita et probata. Attamen Cicero in diem vivens, et nullius, ut ait, disciplinae legibus astrictus, imo ex omnibus libans, quam constans sibi sit non curat, itaque non solum duo capita addidit omnino supervacanea, sed inde a cap. 29 omnino novam inchoavit disputationem, sive quod ipsi Stoicorum conclusiones et ratiunculae non sufficerent, sive quod Romanis satisfacere vellet, quorum multi, Stoicorum improbantes asperam doctrinam atque acerbam, aliorum philosophorum, Epicuri imprimis, placita amplexi erant. Itaque videbimus, in hac extrema nostri libri parte inde a § 88 mera Epicureorum proferri non solum, sed probari etiam a Cicerone decreta de vita beata, Stoicorum placitis recta via repugnantia.

Ne tamen in inconstantiae crimen incurreret, ita rem instituit Cicero, ut diceret (§ 83), jam exponere se velle, quemadmodum veteribus quoque Academicis et Peripateticis consentaneum esset profiteri, id quod supra ab iis postulaverat, sapientem semper esse non solum beatum sed etiam beatissimum, imo se jam demonstraturum ait, quaecunque dissentientium philosophorum sententia sit de fine bonorum, tamen virtutem satis habere ad vitam beatam praesidii.

Haec quomodo Cicero omnino dicere potuerit se demonstrare velle, (demonstravit enim nusquam,) postquam e Stoicorum sententia acerrime contra omnes alios philosophos disputavit et

conclusit, ipse videat. Praeter Tullium ipsum nemo ei talem libertatem largiatur.

Sed ne exsolvit quidem, quod hoc loco promittit. Imo ceteris omnibus disciplinis statim remotis, de quibus satis habet monuisse, omnes honestatem ita certe complecti, ut ad vitam beatam plus minusve necessariam eam ducant, sequitur usque ad finem libri Epicureorum doctrinae de beata vita expositio, et in extremo demum capite Cicero ad ceteros redit, hic tamen quoque simpliciter addens, Epicurus si semper beatum censeat sapientem, hoc multo magis etiam convenire Stoicis et Peripateticis.

Noli tamen putare, ea, quae descriptioni Epicuri sententiarum praemittuntur cap. 29—31, a Cicerone ipso esse excogitata. Quod ne censeamus, vetat jam Carneadis commemoratio (§ 83), quem Cicero eadem disputare solitum esse ait, quae ipse sibi h. l. proposuit. Sane non de ipso Carneade cogitandum est. Hic enim philosophus erat acutissimus, qui si omnino talem disputationem instituit, non putandus erit tam obiter hanc rem tractasse, ut uno capite omnia comprehenderet, et satis haberet, cujusque disciplinae summam placitorum attingere. Porro hunc philosophum nullum omnino scriptum librum posterioribus reliquisse, sed, quae disputaverat, collecta et litteris mandata esse a Clitomacho, nobilissimo discipulo, constat.[1]) Cicero vero ne ex his quidem commentariis, (quos num legerit omnino valde adhuc dubito), cognitionem suam de Carneadis philosophia morali hausisse videtur, sed, quae de hujus placitis commemorat, sumpsisse ex ejusdem philosophi scriptis, cui veterum quoque Peripateticorum et Academicorum doctrinae cognitionem debet, itaque ex Antiochi. Qui quidem, ex omnibus libans, Carneadis quoque nonnulla decreta in usum suum convertit.

Ita vidimus jam, Ascalonitam suam fecisse illius sententiam de Stoicorum cum Peripateticis, si res ipsae spectentur, consensione. Quum vero eundem Antiochum Carneadis divisionem sententiarum, quae de finibus essent et omnino esse possent, libenter adhibuisse ipse Cicero testetur,[2]) dubium non esse

---

[1]) cf. Diog. IV 66—67. Acad. II 98 et 102. [2]) Fin. V 16.

potest, quin ex illius scriptis sumpta sint, et quae adhibetur n. l. cap. 30 Carneadea illa divisio, et quae de singulorum philosophorum sententiis deinde judicantur.

Omnino haec duo capita continent fere Antiochi de fine bonorum expositionem in breviarium adstrictam, itaque argumentum exhibent Fin. lib. V, quo meram illius doctrinam contineri ipse Cicero testatur.[1]) Ita primum ibi exponitur, quod n. l. cap. 30, Carneades quomodo sententias de summo bono diviserit. Sex igitur esse posse simplices de summa bonorum malorumque sententias, quarum duas esse sine patrono, quatuor defensas. Junctas autem et duplices expositiones tres omnino fuisse, nec vero plures, si penitus rerum naturam videamus, esse potuisse. Jam explosas enim et ejectas Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, qui circumscriptus sit, incidere non possint, adhibendas omnino non esse.[2])

Porro quod n. l. castigatur Theophrasti imbecillitas, ex ejusdem Antiochi sententia factum esse jam vidimus, qui saepius in hunc philosophum acriter invehitur, magistri ejus placita omnino ignorans. Haec quoque vituperatio exstat Fin. V 12. Reliquos contra Peripateticos, quos Antiochum sequens hic quoque in unam confundit turbam, Cicero ait exaggerare gravitatem dignitatemque virtutis, quam quum ad coelum extulerint, reliqua ex collatione facile esse conterere atque contemnere. Sane ita Antiochus. Itaque constituta illa divisione in libro V de finibus, ubi adumbratur illius doctrina, reliquis expositis virtus magnopere celebratur (§§ 60. 61), quam per se expetendam esse affirmatur, detracta omni utilitate (§§ 64. 69. 71—72).

Pergit n. l. Cicero, Peripateticum sapientem, quamquam sit in quibusdam malis, tamen beatum esse, nam hoc nomen longe et late patere. Omnem enim rem e majore parte nominari, et ita vitam quoque beatam dici, si multo majore et graviore ex parte bona propendeant. Hanc Antiochi fuisse sententiam Cicero ipse supra affirmavit verbis haud ambiguis (§ 22), ubi pluria contra eam disputantur e Stoicorum animo expressa.[3])

Deinde Cicero n. l. § 87, quid ceteri obtinere possint, de-

---

[1]) Fin. V 8 et 14. cf. Madv. exc. 4. [2]) cf. Fin. V 7. [3]) Eandem uberius exponit Antiochi defendens decreta Fin. V 91.

monstrat, hic quoque, ut videtur, Antiochum sequens, aut saltem ejus sententias in usum suum vertens. Etenim in libro quinto de finibus explicata Antiochi sententia de summo bono, quam eandem veterum fuisse ille affirmabat, ita pergitur: „Haec est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati suam quisque videri voluit afferre sententiam.“ Et deinde docetur, quamnam et quantam particulam merae veterum doctrinae quisque reliquorum arripuerit. Quorum Calliphontem et Diodorum honestate non carere, quae a Peripateticis esset laudata maxime. Hieronymum summum bonum esse dixisse, quae veteres in iis esse rebus voluissent, quae secundum naturam essent. Quin etiam ipsos voluptarios (Epicureos) deverticula quaerere, et virtutes habere in ore totos dies. [1])

Apparet quomodo Cicero hasce Antiochi de reliquis philosophis sententias n. l. in usum suum converterit. Id quoque, quod Cicero nostro loco Epicurum, Hieronymum, Carneadem in unum comprehendit, utpote angustius se habentes, ex Antiochi sententia est dictum, qui de horum trium sententiis eadem judicanda putat, et aequo modo omnes tres removendas esse vult, quum ad majora quaedam nati simus quam illi profiteantur philosophi. [2])

Satis jam videtur demonstratum, ea, quae in his duobus capitibus disputantur, hausta esse omnia ex Antiochi scriptis, cujus partim germanas sententias continent, partim placita aliquo modo mutata et Ciceronis consilio accommodata, ita tamen, ut, qui sit auctor eorum, minime latescat. Quo ex libro Antiochi Cicero haec sumpserit, nescimus, quum nihil omnino de illius scriptis ad moralem philosophiam pertinentibus constet. Apparet tamen, ex eodem commentario haec fluxisse, ex quo liber quintus de finibus est expressus, et fortasse Cicero n. l. ipsum fontem non adiit, sed ex illo libro de finibus sumpsit, quibus hic ei opus erat.

Jam vero iterum putemus rem confectam. Breviter enim exposuit Cicero quod voluit, enarravit, quae dissentientium philosophorum sententiae essent de summo bono, et quomodo

---

1) Fin. V. 73—74. 2) ibd. 21—22.

unaquaeque earum beatam vitam obtinere posset obiter saltem indicàvit. Jam igitur uberius hoc idem erat explicandum, et singularum disciplinarum singula placita sub judicium erant vocanda, aut hic subsistendum. Priorem rationem Ciceronem inire velle putes, quum ita pergat: „Ordiamur si placet ab eo" e. q. s. At vero hac Epicuri doctrinae expositione terminatur noster liber, ita ut poenituisse fere videatur Ciceronem pluria scribere.

Primum quod dicit (§ 88), Epicurum eum diem, quo moriatur, beatum appellare, maximisque doloribus affectum eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutare, haec Epicurus disputaverat in epistola a Cicerone a. l. partim latine versa.[1] Porro mortem Epicurus putat nihil ad nos pertinere: quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu, quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere.[2] Dolorum autem magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate.[3] Haec quoque Epicuri sententia supra jam adscripta erat (II 44) atque acerrime impugnata. Sed multo etiam magis miramur inconstantiam Ciceronis in sequentibus verbis: „Quid tandem grandiloqui isti[4] contra haec duo, quae maxime angunt, melius se habent quam Epicurus?" Haec idem dicit Cicero, qui Epicurum aliis locis contumeliose objurgavit, quem supra tantummodo induere personam philosophi et ipsum sibi hoc nomen imponere cavillatus erat, quem modo acerbissimis maledictis vexavit, utpote non multum differentem a judicio ferarum! Ita pendet omnino ex eo, quem quoque loco sibi sumpsit ducem, auctore.

Jam inde a cap. 32 accuratius Epicuri sententiae enarrantur et perpenduntur. Qui primum quidem tenuem commendat victum. Sapientem enim non egere divitiis, quum procul absit ab omnibus iis rebus, in quibus acquerindis illae consumantur. Itaque Diogenem superare vel Persarum regem vita

---

[1]) Fin. II cap. 30. cf. Diog. X 22. Sen. Ep. 92, 34. 66, 45. Tusc. II 17. [2]) Fin. II 100. cf. Diog. X 125 τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν, ὁ θάνατος, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ οταν μὲν ἡμεὶς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν, ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ ’ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. cf. 140 ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεὶ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Sext. Emp. Hyp. III 229. Plut. n. p. suav. v. 27. [3]) Diog. X 140. cf. 133. [4]) Fin. IV 68 Gloriosa (Stoicorum) ostentatio in constituendo summo bono.

fortunaque, quum illi nihil desit, huic nihil unquam satis. Haec omnia ex Epicuri scriptis saepius afferuntur. Honestam hic rem nominat et laetam paupertatem. Non qui parum habeat, sed qui plus cupiat, pauperem esse.[1]) Aut gratuitum esse, quod egemus, aut vile. Panem et aquam naturam desiderare. Neminem ad haec pauperem esse, intra quae desiderium suum quisquis cluserit, itaque cum ipso Jove sapientem de felicitate contendere.[2]) Contra si cui sua non videantur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen eum miserum esse.[3])

Editores ad n. l. adnotaverunt, Ciceronem, quo ex fonte hic hauserit, ipsum indicare Scythae Anacharsi opponentem „nostrates philosophos,“ nimirum Epicureos. Sane nemo dubitet, quin hic et in sequentibus Epicureum aliquem presse secutus sit Cicero. Neque tamen dixerim, temere eum hic egisse auctoris sui verba vertentem, ita ut se ipsum quasi Epicureis adnumerare videretur. Epicureus ille „nostrates philosophos“ haud dubie intelligi voluit ab Epicuro profectos, sed Cicero his verbis Graecos et Romanos omnes opponere poterat barbaris, quod ejus fuisse consilium apparet ex extremis hujus § verbis, ubi ejusdem Anacharsis verbis opponuntur „omnes fere philosophi omnium disciplinarum“ e. q. s. Hoc in aprico jacet, Ciceronem non solum quae de Anacharsi narrantur, sed etiam quae de Diogene et Xenocrate afferuntur, una cum ceteris ex ejus, quem hic sequitur, Epicurei scriptis sumpsisse. Imo idem statuendum erit de omnibus Graecorum exemplis in hac extrema libri parte adscriptis.

Quam presse Epicuri vestigia secutus sit Cicero, videmus imprimis in sequenti capite, ubi ad verbum videtur vertisse. Ita primum, quam affert Epicuri divisionem cupiditatum, iisdem fere verbis exhibet Diogenes.[4]) Naturales et necessarias paene nihilo satiari posse, inanium cupiditatum nec modum ullum nec finem inveniri, apud eundem Diogenem Epicurus disputat: *καὶ ὅτι τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι, τὸ δὲ κενὸν δυσπόριστον,*[5]) idem, divitias naturae esse parabiles: *ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται καὶ εὐπόριστός ἐστιν, ὁ δὲ*

[1]) Sen. Ep. 2, 4. [2]) Sen. Ep. 25, 4. [3]) Sen. Ep. 9, 18. Zeller 404, 2. [4]) Diog. X 149. cf. 127. Fin. I 45—46. [5]) Diog. X 130.

τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει,[1]) idem, obscoenas voluptates optabiles esse si non obstent, prodesse nunquam: *συνουσία δὲ ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δέ, εἰ μὴ καὶ ἔβλαψεν.*[2])

Deinde de voluptate ita praecipere Epicurum ait Cicero: „Eam ipsam per se esse semper optandam, eademque ratione dolorem semper fugiendum, itaque compensatione quadam usurum sapientem, ut et voluptatem fugiat, si ea majorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat majorem efficientem voluptatem. Sane haec omnia iisdem fere verbis Epicurus:[3]) *οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται, καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ, πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας· πᾶσα οὖν ἡδονὴ διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι αἱρετή· καθάπερ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα κακόν, οὐ πᾶσα δὲ ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα. τῇ μέντοι συμμετρήσει καὶ συμφερόντων καὶ ἀσυμφερόντων βλέψει ταῦτα πάντα κρίνειν καθήκει.*

De corporis et animi gaudiis et doloribus eandem Epicuro sententiam tribuit Cicero alio quoque loco.[4]) Breviter rem complectitur Clemens Alexandr.[5]): *ὁ δὲ Ἐπίκουρος πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς οἴεται ἐπὶ πρωτοπαθούσῃ τῇ σαρκὶ γίνεσθαι.*

Deinde Cicero (cap. 34) describit Epicuri sententiam de tenui victu: „Parvo cultu naturam contentam esse, nam desideriis omnia condiri. Hanc porro continentiam in victu sequi siccitatem atque integritatem valetudinis. Qui maxime voluptates sequantur, eos minime consequi.“ Attendas, hic jam Ciceronem magis magisque ita partes Epicuri suscipere, ut nonnunquam videatur sua ipsius potius placita exponere quam illius enarrare. Sunt tamen omnes merae Epicuri sententiae. Qui quidem ita disserit: *καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα „πεπεισμένοι γνησίως, ὅτι ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι. — οἵ τε λιτοὶ χυλοὶ ἴσην πολυτελεῖ διαίτῃ τὴν ἡδονὴν προσφέρουσιν, ὅταν ἅπαν τὸ ἀλγοῦν κατ' ἔνδειαν ἐξαιρεθῇ· καὶ*

---

[1]) Diog. 144. cf. 146. [2]) ibd. 118. cf. 142. Fin. II 21. Hieron. adv. Jovin. I 191. [3]) Diog. X 129. cf. 131. 141. Fin. I 48. Sen. de otio 32. [4]) Fin. I 55. [5]) Stromat. p. 179. cf. Plut. n. p. suav. v. 3, 11 et 5, 1. Diog. X 137.

μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται· τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικὸν καὶ πρὸς τὰς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον. [1])

Exempla quoque, quae singulis sententiis inseruntur n. l., una cum ceteris ex Epicureo suo Ciceronem sumpsisse et per se apparet, et infra pluribus demonstraturus sum. Hoc tantummodo a Cicerone additum esse largiamur necesse est, quod Platonis, quam putat, epistolam praeclaram celebrat, nam Epicurus nunquam ita de alius philosophi libris judicasset, qui Platonem ipsum vexare solebat contumeliosissime. [2])

Iterum deinde paupertatis causa defensa, Cicero (cap. 36) docet, sapientem etiam ignobilitatem, humilitatem, offensionem popularem contemnere posse. Gloriam enim popularem plus molestiae habere quam voluptatis, et sapientem potius otio litterato se daturum esse, quam ad rem publicam accessurum. Et quidem hic jam plane speciem induit Tullius philosophi sua ipsius placita explicantis, etsi omnia mutuatur ab Epicureis. Id quod ipse hic quoque indicat quodammodo, dicens, malle se Graecorum quam Romanorum exempla proferre. Hoc enim tum potissimum facit, quum auctorem aliquem Graecum presse sequitur, qui exempla jam collegerat ad illustrandas sententias. Celebrat autem pluribus Epicuri dictum nobilissimum: *λάθε βιώσας.* [3]) Epicurei enim sapienti, ne ad rem publicam accederet, plane interdicebant, quem nunquam populo placere velle ajunt, quum, quae ille sciat, non probet populus, quae probet populus, ille nesciat. [4]) Itaque praecipiunt, sapientem non celebritatibus operam daturum, et bonae famae hactenus tantummodo curam habiturum, quoad contemptui non habeatur. [5]) De hac re summam sententiarum Stoicorum et Epicureorum ita complectitur Seneca [6]): „Epicurus ait: Non accedet ad rem publicam sapiens,

---

[1]) Diog. X 130—31. cf. 146. Metrod. ap. Clem. Strom. V 614 B. Zeller 414, 3. [2]) cf. Zeller 429, 1. [3]) cf. Plut. de latent. viven. 4. [4]) Epic. ap. Sen. Ep. 29, 10. [5]) Diog. X 120. [6]) De otio 3, 12. cf. Diog. X 119—20. Tusc. II 28. Plut. adv. Colot. 33, 4. Zeller 416.

nisi si quid intervenerit. Zeno ait: Accedet ad rem publicam, nisi si quid impedierit."

Id vero, quod dixi mihi verisimile esse, Ciceronem omnia exempla quoque, quae adscribit, ex Epicureo suo sumpsisse, confirmatur ea ratione, qua Demosthenis hoc loco mentio fit, qui acerbis facetiis irridetur. Ita enim nullo alio loco Cicero de summo oratore loquitur, imo divinis laudibus eum exornare solet.[1]) Contra hoc de Demosthene judicium aeque injustum atque contumeliosum optime convenit Epicuri maledicentiae.[2])

Idem statuendum erit de iis, quae de Democrito Cicero narrat,[3]) idem denique de iis, quae ex Heraclide physico adscribit, quem σκοτεινόν ipsum adiisse nemo sibi persuasum habeat.[4])

Similia deinde de exilio proferuntur, quod a perpetua peregrinatione non differre ait Cicero, quum ignominia sapientem nullo modo afficere possit. Imo patriam esse ubicunque bene. Vix denique accidere posse, ut sapiens, qui Epicuri legibus parens quiescens vivat,[5]) ex civitate expellatur. Haec omnia ex Epicureorum sententia dicta esse, non est quod pluribus demonstremus. Respicit illos Cicero dicens, ad omnes casus facillimam rationem esse eorum, qui ad voluptatem ea referant, quae sequuntur in vita, ut, quocunque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere (§ 108).

Eundem Epicureum agnoscimus in sequenti capite, ubi primum dicitur, aegritudines leniri oblivione traductis animis ad voluptatem. Alio enim loco Epicureis ipse Cicero hanc doctrinam tribuit, quos ait levationem aegritudinis in duabus rebus ponere, in avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates.[6]) Ipsum deinde adscribit

---

[1]) cf. Orat. 7, 23. [2]) Confirmatur nostra sententia ea re, quod Demosthenes hic nominatur „leviculus," voce solitaria. Videtur hoc verbum a Cicerone novatum, legente apud auctorem suum „κουφότερος Δημοσθένης," sive aliud ejusmodi verbum, quam ad opinionem eo magis adducor, quod Aelianus quoque eandem fabulam narrans (VI 17) κουφότην Demosthenis vituperat. [3]) cf. Diog. IX 36 et Val. Max. VIII 7, ext. 4. [4]) cf. Diog. IX 2. [5]) Sen. de brev. v. 14, 2 Cum Epicuro quiescere. id. Benef. 4, 4 Quae maxima Epicuro felicitas videtur, nihil agit. Lucr. V 1125 Ut satius multo jam sit parere quietem, Quam regere imperio res velle et regna tenere. [6]) Tusc. III 33. cf. Diog. X 130.

Epicurum auctorem sequentium sententiarum: „Sapientem semper in pluribus bonis esse, quia semper sit in voluptate, itaque semper eum fore beatum." [1]) Definiebat enim Epicurus φιλοσοφίαν ἐνεργείαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογίσμοις τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν. [2]) Itaque Stoicis non cedens sapientem inducit beatum κἂν στρεβλωθῇ. [3])

Jam vero Cicero ita pergit: „Ceteras quidem voluptates in ipsis habitare sensibus, quae autem aspectu percipiantur, ea animo accipi, non versari in oculorum ulla jucunditate." Haec quidem non omnia respondent Epicuri placitis. Hic enim omnia posuit καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις· τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαθές. [4]) Contra Stoicos igitur contendebat, ipsis sensibus omnia percipi, itaque omnes quoque voluptates in ipsis iis habitare. Neque aliter eum sensisse de oculorum sensu, ex ejus περὶ τέλους a. l. Cicero adnotat h. v.: „In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam, dicis haec: Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae auditu e cantibus, detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu." [5]) Itaque ipse Cicero n. l. profitetur, de oculis aliter praecipere non Epicurum, sed „quosdam," scilicet Epicureos, nam de his tantummodo cogitari posse inde apparet, quod hic quoque de voluptatibus tantummodo in sensibus habitantibus verba facit Cicero. Quinam vero hujus disciplinae philosophus, in ceteris Epicuri placita servans, hanc de oculis sententiam novaverit, fortasse quod Stoicos sustinere non posset, nescimus. Id tamen ex hoc loco apparet, et ita quidem, ut, etiamsi nullo alio argumento confirmari posset, satis foret probatum, Ciceronem Epicureorum adumbrantem doctrinam non ex ipsius Epicuri hausisse scriptis, sed recentiorem aliquem ejus disciplinae philosophum ducem sibi sumpsisse, cujus doctrinam de oculo-

---

[1]) Fin. I 61—62. cf. II 95. [2]) Sext. Emp. adv. Math. XI 169. [3]) Diog. X 118. cf. 119. [4]) Plut. placit. philos. IV 23. 2. [5]) Tusc. III 41—42. cf. Athen. VII 280. Diog. X 6. Lucr. III 359 Dicere porro oculos nullam rem cernere posse, Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis, Desipere est.

rum sensu probare quodammodo videtur ex obliqua oratione ita transiens in rectam: „In oculis tale nihil fit“ e. q. s.

Illustratis hisce sententiis nonnullis exemplis, partim e sua ipsius experientia repetitis, transit Cicero (cap. 40) ad surditatis, quod putatur, malum, quam non esse malum demonstrat. Eum hic quoque Epicureorum decretis uti inde videmus, quod hoc quoque loco de voluptatibus tantummodo verba facit, quas ne surdo quidem deesse profitetur.

Congestis autem omnibus malis, prementibus doloribus acerrimis corporis, id esse solatium, quod tales dolores per se ipsi plerumque conficiant hominem, sin forte longinquitate producti vehementius tamen torqueant, quam ut causa sit cur ferantur, portum praesto esse mortem, nihil sentiendi receptaculum. Has quoque Epicuri sententias esse et ipse Cicero hic profitetur, et supra jam de nonnullis vidimus. Eadem decreta alio loco Cicero Epicuro tribuit, quem ad dolores ita paratum esse ait, ut meminerit maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla, mediocrium nos esse dominos, ut, si tolerabiles sint feramus, sin minus aequo animo e vita, quum ea non placeat, tamquam e theatro transeamus. [1]) Et Seneca Epicuri vocem esse ait: „Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est. Quidni malum sit? Patent undique ad libertatem viae multae, breves, faciles“.[2]) Alibi non commemoratur, Epicurum mortis sibi consciscendae auctorem fuisse, et ipse Seneca alio loco [3]) dicit, Epicurum objurgare non minus eos, qui mortem concupiscant, quam eos, qui timeant, et dicere ridiculosum esse currere ad mortem taedio vitae, quum genere vitae ut currendum esset ad mortem effeceris. Videtur igitur iis tantummodo mortem voluntariam concessisse, qui extrema paterentur. [4]) Ceterum nostro loco ex Epicuri tantum animo, non e Stoicorum, e vita sponte excedendi veniam dari, inde quoque apparet, quod mors nominatur nihil sentiendi receptaculum. Cicero quidem, ne omnia aliis debere videretur, speciem

---

[1]) Fin. I 49. cf. Zeller 406, 5. [2]) Epist. 12, 10. [3]) Epist. 24, 22. cf. Zeller 414, 4. [4]) Fortasse haud ineptum est putare, hoc quoque Epicuri placitum ab aliquo recentiore ejus disciplinae philosopho paulo mutatum, et ad Stoicorum decreta magis fuisse accomodatum.

induit philosophi e suis haurientis, monens, se superioribus jam diebus multa de morte dixisse (e Stoicorum nimirum commentariis expressa). Deinde vero parum sibi constans, postquam iteravit, injurias fortunae, quae ferri non possent, defugiendo esse relinquendas, ita pergit: „Haec eadem, quae Epicurus, totidem verbis dicit Hieronymus.“ Quo loco plane otiosa quidem est commemoratio hujus Peripatetici. Cujus doctrinam de morte voluntaria, quo jure Cicero dicere potuerit consentire cum Epicuri, omnino nescimus. Reliqua quidem ejus doctrina, voluptatem ne in expetendis quidem rebus numerans, ab Epicuri valde abhorrebat.[1] Cicero vero haud dubie hanc quoque Hieronymi commemorationem ex fonte suo, ubi spectabat ad solam licentiam voluntariae mortis sibi consciscendae, una cum ceteris sumpsit, presse auctorem suum sequens.[2]

Repetit denique Cicero Epicuri sententiam de virtute per se ipsa nihil valente, quum, quod honestum et laudabile ceteri existiment, cassum quiddam et inani vocis sono decoratum putet. Eandem Epicuri sententiam supra jam § 73 Cicero protulit, et ex ejus περὶ τέλους aliis locis similia adscribit.[3]

Jam vero ad finem pervenimus disputationis. Postquam igitur satis demonstravimus, Ciceronem inde a § 88—119 omnia mutuatum esse ab Epicureis, nihil jam restat, quam ut de fonte hujus extremae partis nonnulla accuratius disputemus.

Et quidem in hac parte multis locis adnotandum nobis erat, hanc aliamve doctrinam eandem ab aliis auctoribus iisdem fere verbis tribui Epicuro ipsi. Itaque ex illius scriptis haud pauca erant comparanda, plurimae vero nostro libro insunt sententiae, quae in universum Epicuro, nullo ejus scripto nominato, tribuuntur. Quibus quidem locis etsi fortasse quis commoveri potuerit, ut de Epicuro ipso hic cogitet, obstant tamen huic sententiae argumenta gravissima.

Primum enim monendum est, id quod de Chrysippo supra diximus multo magis etiam valere de Epicuro. Hic enim πολυγραφώτατος ἀνήρ discipulis reliquit philosophiam ab omnibus

[1] Fin. II 8 et 19. cf. Zeller 2b 750, 2. [2] Commendatio mortis voluntariae Hieronymi ceteris decretis de fine bonorum, quem putabat esse nihil dolere sive vacare omni molestia, (Acad. II 131. Fin. II 8.) optime conveniret. [3] Tusc. III 42. cf. Fin. II 48. Zeller 407, 3—5.

partibus tam absolutam et perfectam, ut nihil omnino restaret addendum. Itaque constat, qui ab illo profecti erant, in verba magistri jurantes, meram ejus doctrinam omnes fere retinuisse, unde factum est, ut posteriores gloriari possent, per tria saecula germana fere auctoris esse decreta servata. [1])

Quae quum ita sint, intelligitur quoque, cur, si Epicureorum placita a veteribus adumbrantur, perraro inveniamus praeter auctorem alium hujus disciplinae philosophum commemoratum, nimirum, quod omnes in omnibus fere decretis cum magistro consentirent. Ut uno defungar exemplo, in libro primo de finibus saepius Epicuri ipsius verba afferuntur, quamquam dubium non esse potest, quin Cicero Zenonis aut Phaedri scripto ibi aliquo usus sit. [2])

Simile quidquam de nostro libro statuendum esse inde videmus, quod Cicero § 90 „nostrates philosophos“ ita commemorat, ut appareat, hoc verbo in fonte quidem suo Epicureos fuisse intellectos. Idem colligimus e § 94, ubi adnotatur, hoc loco multa ab Epicureis disputari de voluptatum generibus. Aperta vero fit res § 110, ubi Epicurei cujusdam doctrina affertur, quam ab auctoris scholae abhorrere placitis et ipse Cicero concedit, et supra nos demonstravimus. His igitur ex locis quum certum fiat, quod per se est verisimile, Ciceronem non ipsum auctorem disciplinae, sed posteriorum aliquem ducem sibi sumpsisse, contra si dijudicandum est, quando hic Epicureus vixerit, et quinam fuerit, nihil possumus exploratum afferre, conjecturis tantum probabilitatis aliquam speciem efficere.

Primum si nullis omnino argumentis nisi quaerimus, quid sit verisimillimum, haud dubie cogitandum nobis erit de Zenone aut Phaedro Ciceronis magistris. Namque horum scripta de philosophia morali haud dubie maxime triverat, quorum alterum fontem videri libri I de fin., jam diximus. Si vero recte supra statuimus, librum secundum ejusdem scripti ex Panaetii haustum esse commentariis, et verisimile est, hunc philosophum refellendum sibi sumpsisse aequalem potius quam veterum aliquem Epicureorum, inde iterum colligimus, hunc fuisse Phaedrum aut Zenonem.

---

[1]) cf. Ritter 448, 1—2. [2]) cf. Fin. I 16. 31. 66. Madv. p. LXIV.

Panaetium enim mortuum esse constat circa annum 110 a. Ch. n.[1]), Zenonem autem et Phaedrum Cicero anno 79 senes fuisse narrat,[2]) quorum quum illum auditorem fuisse Carneadis, anno 129 morte defuncti,[3]) audiamus,[4]) ante annum 150 eum natum esse, quominus statuamus, nihil impedit. Poterat igitur Zeno certe, πολυγράφος ἀνήρ,[5]) ante annum 110 scripta litteris mandare, quae Panaetius sibi sumeret refellenda.

Jam vero verisimile est, nostri libri extremae partis fontem esse eundem Epicureum, quem Cicero Fin. lib. II insectatur. Ut omittam monere, multa ibi decreta refelli, quae in nostro libro probantur a Cicerone, illius §§ 90—92 similitudinem exhibent cum nostri libri §§ 97—100, quae vix videtur esse posse fortuita. Ibi enim doctrina Epicuri de tenui victu adumbratur et refellitur, ita ut appareat, Epicureum illum non solum easdem plane sententias protulisse, quibus n. l. utitur Cicero, sed etiam iisdem omnino ad illas illustrandas usum esse exemplis Socratis, Xenophontis, Platonis. Aristotelis quoque de Sardanapalo judicium ab illo Epicureo fuisse adscriptum apparet ex Fin. II 101. Haec noli parvi momenti putare. Aliud enim est easdem sententias afferre, aliud iisdem exemplis, partim satis remotis, uti ad illas illustrandas.

Hac ratione quum eo perducamur, ut Zenonem aut Phaedrum ducem fuisse Ciceronis suspicemur, ad hanc conjecturam confirmandam uti possumus quodammodo etiam alio loco n. l. § 107, ubi Cicero de exilio disputans ex Epicuri sententia, hoc a perpetua peregrinatione non differre affirmat, illustrans deinde hanc sententiam exemplis multorum philosophorum Graecorum qui semel egressi nunquam domum reverterunt. Quibus exemplis Epicureum quoque, quem sequitur Cicero, usum esse, nemo erit, qui neget. At vero invenimus hoc loco priores quidem, qui afferuntur, philosophos usque ad Antipatrum ita enumerari, ut primum Academici, deinde Peripatetici, Stoici denique comprehendantur. Contra in iis, quae sequuntur, nominibus, temporum quidem ordine servato, confunduntur tamen promiscue Academici et Stoici, ut ita enumerentur: Carneades, Panaetius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius.

---

[1]) cf. Zeller 501, 7. [2]) Tusc. III 38. Nat. Deor. I 93. [3]) Acad. 46. [4]) Apoll. ap. Diog. IV 65. cf. Zeller 454, 2. [5]) Diog. X 25.

Primo aspectu fortasse ineptum videatur inde colligere, Ciceronem hausisse e libro conscripto post mortem Antipatris et vivo adhuc Carneade, sive omnino sub fine saeculi secundi, nam non opus erat Epicureo illi omnes nominare philosophos, et facile omittere poterat Carneadem, praesertim quum alii quoque veterum philosophorum, de quibus eadem dici poterant, in hoc ordine desint. Qui temeritatem Ciceronis haud ignorat, fortasse non omnino repudiabit conjecturam, reliqua nomina deinde ab ipso Tullio addita esse, parum curante ordinem scholarum. Ne tamen risum moveamus, statim addamus, quod praesto nobis est ad hanc conjecturam confirmandam.

Constat Plutarchum peculiarem scripsisse de exilio libellum, quo Epicurei alicujus scriptum eum imitatum esse pro certo affirmari potest. Omnes enim, quae ibi afferuntur, sententiae, omniaque decreta, ex intimo Epicuri animo sunt hausta, cujus celebratur imprimis illud: *λάθε βίωσας* et otium litteratum. Uberius igitur ibi exponuntur, quae nostri libri cap. 36 et 37 exhibent magis contracta. Cf. imprimis Plut. cap. 5. 7. 8. 10—12. 15 (ubi enarratur de Diogene eadem fabula, quae extat § 92 nostri libri), 17. Gravissimus autem locus est cap. 14. Ubi postquam alios nominavit, qui ex patria emigraverint, ita fere pergit Plutarchus: „Quod si quis dicat, istos gloriam et honores captasse, ad sapientes animum refer, sapientesque illas Atheniensium scholas et disputationes tecum recense, Lycei, Academiae, Stoae, Palladii, Odei. Si Peripateticam reliquis praefers philosophiam, Stagira patriam habuit Aristoteles, Erisum Theophrastus, — Straton, — Glycon, — Ariston, — Critolaus. Si Stoicam probas, Citiensis erat Zeno, — Cleanthes, — Chrysippus, — Diogenes, — Antipater, adeoque Atheniensis Archidemus ad Parthos abiit, ac Babylone Stoicae scholae successionem reliquit.“

Hanc philosophorum enumerationem si cum Ciceronis priore parte comparamus, apparet, utramque terminari temporibus Antipatri et Panaetii, ita tamen, ut Plutarchus omiserit omnino Academicos, Cicero recentiores Peripateticos et Stoicum Archidemum, Antipatro omnino aequalem.[1])

---

[1]) Zeller 42, 1.

Vide jam, num ex hoc loco colligere possimus, Plutarchum hausisse ex libello Epicurei post mortem Archidemi conscripto peculiariter de exilio, et ejusdem Epicurei ampliore libro de vita beata, ubi de exilio eadem contractiora essent prolata, Ciceronem usum esse,[1] ita tamen, ut uterque in enumerandis philosophis nonnullos omitteret, et Cicero ex memoria plures adderet recentiores.

Sin autem parum verisimile videtur, Zenonem, etsi *πολυγράφον ἄνδρα*, triginta annos fere natum jam duos libros scripsisse, cogitandum erit de Apollodoro Epicureo, Panaetio omnino aequali, quem ultra quadringenta volumina conscripsisse audimus.[2]

Nolo tamen diutius in conjecturis commorari. Quae num quid valeant, videas.

Haec igitur hactenus. Si nonnunquam longi fuimus aut lapsi sumus, in tractanda re et plane adhuc integra, et satis lubrica arduisque difficultatibus obstructa, non verbosum esse difficile esse, non errare difficillimum, apparet.

---

[1]) Quem multa coartasse, in fonte suo uberius exposita, apparet ex § 94: „Hoc loco multa ab Epicureis disputantur, et eae voluptates singillatim extenuantur“ e. q. s. [2]) Diog. X 25. cf. ibd. II 13. VII 181. Zeller 349, 1—2.

VITA.

Natus sum, Georgius Zietzschmann, die XXIII mensis Januarii anni h. s. XLVII Cizae, patre Francisco, quem praematura morte mihi abreptum valde doleo, et matre Luisa, e gente Rohland, qua adhuc superstite laetor. Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Confluentinum, quod Dominico rectore etiam nunc floret, per sex annos frequentavi, deinde in urbem patriam reversus gymnasium episcopale Cizense adii, cui Theissius tunc praeerat. Testimonio maturitatis instructus tempore paschali anni h. s. LXV in hanc almam universitatem literariam me contuli, ubi per duo semestria antiquarum literarum studiis operam navans scholis interfui Bernhardyi, Bergkii, Erdmanni, Schalleri, Hertzbergi, Conzii. Deinde per unum semestre Tubingae philologiae studiosis adscriptus eram, ubi audivi Teuffelum, Kellerum, Michaelim. Redux in patriam iterum universitatem Halensem adii, ubi cum aliorum, tum Bernhardyi et Bergkii scholis denuo per biennium usus sum. Per tria semestria seminarii regii Halensis sodalis fui ordinarius, benevoleque Bergkius in societatem suam me recepit. Praeceptoribus omnibus optime de me meritis, imprimis Bernhardyo et Bergkio propter insignem erga me indulgentiam et liberalitatem, gratum animum semper servabo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

E Xenoph. hist. Graec. III 1, 2 (ὡς μὲν οὖν Κῦρος — Θεμιστογένει τῷ Συρακουσίῳ γέγραπται) minime colligi posse contendo aut Anabasin esse Themistogenis, aut praeter Xenophonteam etiam Themistogenis quandam historiam extitisse.

II.

Diog. Laert. X 119 ita emendaverim: ἀλλὰ καὶ πηρωθεὶς τὰς ὄψεις μεθέξει αὐτὸς τοῦ βίου.

III.

Terent. Heautont. prol. v. 6 genuinum puto et sic legendum: Duplex quae ex argumento facta est simplici.

IV.

Cic. Tusc. disp. V 30, 94 corrigendum censeo: Hoc loco multa ab Epicureis disputantur, eaeque voluptates singillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, neque quaerunt tamen copiam.